Ἀπόδειξις Theologica,

DE UM ESSENTIA unum, personis trinum esse, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum Sanctum;

ERRORIBUS ET CORRUPTELIS modernorum Photinianorum, inprimis Fausti Socini, Georgij Eniedeni, Christophori Ostorodi, Valentini Smalcij, &c. oppositа,

PRÆSIDE

THEODORO THUMMIO, S.S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EIUSDEM PROFESSORE, ET ECCLESIÆ TUBINGENSIS DECANO, &c.

Respondente

M. JOHANNE FALCONE, SS. THEOLOGIÆ IN ILLUSTRI STIPENDIO STUDIOSO.

Ad diem Ianuarij.

TUBINGÆ,
Typis Theodorici Werlini, Anno
M. DC. XXIII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

I.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

In nomine PATRIS, FILII, & SPIRITUS-SANCTI, arduum articulum de adorandâ TRINITATE, quantum ex Sacris literis possumus, admirabimur. Id autem ut εὐτάκτως fiat, quantum in nobis est, consuetâ methodo videbimus, I. ONOMATOΛΟΓΙΑΝ; & II. ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑΝ.

ONOMATOΛΟΓΙΑ, potissima *vocabula* evolvit & explicat, quorum I. DEUS. 1. respectu ETYMOLOGIÆ, si vocabulum, *Deus*, est *derivativum*, (per ἄρσιν) non dicitur ab *effectu*, à *dando*, quamvis *pia* sit hæc etymologia: sed (per θέσιν) à Græco vel 1. Δέος, *Timor*, uti Jacob DEVM TIMOREM *Isaac* dixit, Genes. 31. 42. *Nisi Deus Patris mei Abraham, & TIMOR Isaac adfuisset mihi, &c.* vel 2. à Θεὸς; Θεὸς autem vel à Θεᾶν, *videndo*, quia *oculi Domini sunt multò lucidiores ipso Sole, & vident omnia, quæ homines agunt in occultissimis angulis*, Syr. 23. v. 28. Vel à θέειν, à *currendo*, quia *Dominus accelerat, ut eruat nos*, Psalm. 31. vers. 3.

2. respectu ὁμωνυμίας, vox hæc sumitur *Tropicè* & *propriè*, πληθυντικῶς καὶ ἐξοχικῶς, *pluraliter* & *singulariter*. TROPICÈ πληθυντικῶς, & *pluraliter* enunciatur 1. de *fictitiis Deiis*, Act. 17. v. 23. Gal. 4. v. 8. 2. de *Magistratibus*, Exod. 22. vers. 8. & 28. PROPRIÈ, ἐξοχικῶς & *singulariter* dicitur de VERO DEO, vel ὑποστατικῶς, Iohan. 4. *Deus est Spiritus*, vel ὑποστατικῶς, quando *certa Trinitatis persona* distinctè notatur, ut 1. PATER, Ioh. 1. v. 1. & 2. *Verbum erat apud* DEVM. 2. FILIVS, Tit. 2. v. 13. *Deus magnus*, 1. Ioh. 5. v. 20. *Deus verus*. 3. SPIRITVS SANCTVS; Actor. 5. v. 3. & 4. Quando autem vox *Dei* μονοτρόπως & *absolutè* sumatur, docent *attributa veri Dei significativa*. 1. ὀνομαστικὰ, 2. ἰδιωματικὰ, 3. ἐνεργητικὰ, 4. λατρευτικὰ, ut D.D. Matthias Decad. 1. Exerc. 4. docet. 3. respectu SIGNIFICATIONIS, vox DEI, quando de *creatore* enunciatur, directè *naturam* indirectè *dignitatem* significat; vel *naturam* significat, *Potestatem* consignificat, Gal. 4. 8. *cùm ignoraretis* DEVM *serviebatis ijs, qui Naturâ non sunt Dij, &c.*

de ἀπόδειξιν Spiritu Sancto. 19. & seqq.

II. Germanicum GOTT à Guott / quia *omnis donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à Patre luminum*, Iac. 1. v. 17.

III. אֱלֹהּ Chald. ܐܶܠܳܗ Syr. אַלָה Arab. אלה *alah* & cum אר articulo emphatico אלאלה *alalah*, & concisè אללה *Deus*. Unde Symbolum Mahometanum לא אלה אלא אללה מהמד רסול אללה *la alah ala allah Muhammed rasul allah*; *Non est Deus, nisi Deus ille, Muhammed nuncius Dei illius.* Hoc coguntur *erecto manus pollice* recitare *circumcidendi*, hoc *morientes* pronunciant, hoc *præcones* ante orationem in *Templis* proclamant, hoc *Sacerdotes* in *funeribus* concinunt, &c. Plur. אֱלֹהִים Chal. אֱלָהִין Syr. idem. Arab. אלהה *alahi*. Hunc autem pluralem, *Elohim*, singularem *Eloah*, agnoscere

scere vix est, qui *rectè* negat. Scribatur enim אֱלוֹהּ & jubeatur antagonista, ex hoc pluralem numerum formare, & examussim habebitur τὸ אֱלֹהִים 1. respectu *etymologiæ* videtur dici à *robore*, ut cum אֵל congruat. 2. respectu ὁμωνυμίας sumitur 1. μονοτρόπως pro *Vero Deo* Gen. 1. v. 2. *Et Spiritus Elohim ferebatur super aquis.* 2. πολυτρόπως, & quidem 1. pro *Idolis* Ios. 23. vers. 16. *Et serviebatis Dijs alienis, Elohim acherim.* Thargum לטעותא עממיא *Idola gentium.* 2. pro *Angelis*, Psal. 86. vers. 8. *Non est similis Tui* בָּאֱלֹהִים *inter Deos.* Thargum באנגלי מרומא *inter Angelos excelsos.* 3. pro *hominibus magnis, & divinis, notitiam Dei habentibus, & eius in Terrâ vicarijs*, ut *Principes*, *Prophetæ*, *Iudices.* Exod. 21. vers. 6. 1. Sam. 2. 25. &c. Eadem propè est ratio אֵל & אָרוֹן.

IV. יהוה 1. respectu *originis* à radice הוה fuit. 2. respectu *attributionis*, SOLI DEO tribuitur, & distinguit illum ab *idolis*, quæ non sunt, sed finguntur. Exod. 3. v. 14. *Et dicent mihi, quod est nomen eius, qui dicam illis? & dicebat Deus ad Mosen:* ERO, *qui ero; & dicebat, hoc dices filijs Israël,* ERO *misit me ad vos, & dicebat Deus amplius ad Mosen: Hoc dices filijs Israël* יהוה *Iehovah patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos, hoc est,* שמי *nomen meum in aternum, & hæc est recordatio mea in omnem aternitatem.* Idem inculcatur Exod. 15. v. 3. Psal. 83. vers. ult. Esa. 42. v. 8.

V. Οὐσία: 1. respectu *fontis* fluit à Participio ὤν, ἦσα, ὄν, ut germanum hunc fontem ex naturâ coniugatorum adfert Cyrillus, Apoc. 1. v. 8. ὁ ὤν, ὁ ἦν. ἀπὸ τ γὰρ ὤν fluit ἦσα, ἀπὸ τ ἦσης proximè ἡ οὐσία. 2. respectu ὁμωνυμίας, prædicatur οὐσία de *creatore* & *creaturis* ὁμωνύμως, & maximè æquivocè. 1. enim κ τὸ ἐξαίρετον dicitur de *Deo*, quia ipse αὐτοῦν, αὐταυτὸς 1. *originaliter*, & 2. *effectualiter*, cùm

omnium εἶναι, ab hoc descendat, qui ὁ ὤν, Apoc. 1. vers. 8. 2. καὶ τὸ ἦθος de *creaturis*. 3. respectu συνωνυμίας idem est, quod Φύσις καὶ Θεὸς, *natura & essentia omnibus tribus personis communis*. Psellus c. 2. cap. Theol. *Substantia & Natura in sanctâ & consubstantiali Trinitate idem sunt.*

VI. PERSONA 1. respectu *scaturiginis*, Gellio & Lombardo, quasi *per se sonans*: sed *Poëtica* videtur refragari; *producit* enim *mediam*: alijs à περιζώννυμι, quasi *circumcingo*, vel περὶ σῶμα, quasi *aliquid habens circa corpus*, à *personis Comicis*. Forsan *perfecta originatio* latet. 2. respectu ὁμωνυμίας sumitur 1. *Qualitativè*, *comicè* & *tragicè*, cùm quis in *Comœdiâ* vel *Tragœdiâ* sustinet *personam Regis, senis, juvenis, psyches*, &c. 2. in prædicamento *substantiæ*, ut cùm *Paulum* dicimus *personam*; & quidem dupliciter, 1. *complexè*, pro *essentiâ*, & *proprietate personali iunctim*; 2. *præcisè*, & quasi *abstractè* pro *persona*, νοήσει quâdam *distinctâ* ab *essentiâ*, vel pro *addito*, quod *præter essentiam*, (liceat nobis in hâc infantilitate balbutire) significat. 3. respectu *definitionis*; persona est ὑφιστάμενον νοερὸν, vel ex Boëthio, additis addendis, *persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, quæ non sustentatur in aliâ vel ab aliâ*. SUBSTANTIA dicitur contra *Vallam*, l. 6. Eleg. c. 35. 2. INTELLIGENS. *Asina* enim *Bileami* non est *persona*: & in hoc *persona* à *supposito* differt. SUPPOSITUM enim *singularem completam* & *incommunicabilem substantiam significat*: PERSONA autem *solùm intelligentem*. 3. *Non debet* SUSTENTARI AB ALIO, VEL IN ALIO, ne concludatur, HUMANAM CHRISTI NATURAM esse *personam*.

VII. Ὑπόστασις 1. quoad *etymon*, *dicitur* ἐκ τοῦ ὑφίστασθαι, à *subsistendo*. 2. quoad *ambiguitatem*, sumitur 1. *philosophicè*, & in specie *Meteorologicè*, & significat quiddam *verè subsistens, non evanescens*, ut *nubes* est ὑπόστασις, *arcus* verò in nubibus

est

est ἔμφασις, Arist. l. de Mundo c. 4. 2. MEDICÈ, pro *sedimento in urinâ*, seu *facibus subsidentibus* & *conspicuis*, Alex. Aphth. 3. POLEMICÈ, 1. *pro statione militum*, 1. Reg. 13. ex versione Græcâ. 2. *loco insidiarum*, quia *insidiæ* fiunt ab illo, qui ὑφίσταται, *stat* in tenebris; Sophocl. 4. THEOLOGICÈ, & quidem I. in arriculo de *Fide*, pro *fiduciâ certò aliquid exspectante*, Ezech. 19. v. 5. ex Vers. LXX. Interpr. 2. Cor. 9. v. 4. 2. Cor. 11. v. 17. Hebr. 3. 14. c. 11. v. 1. II. in articulo de *Trinitate*, 1. abusivè, pro *essentiâ*, ut Hieronymus in Epist. ad Damasum, quâ negat, *in Trinitate esse tres* ὑποστάσεις; Et Concilium Sardic. apud Theodor. lib. 2. hist. c. 8. hæreticorum ait, asserere, *Tres esse hypostases*. 2. *propriè* pro *personâ, modò definitâ*. Psellus cap. 2. cap. Theolog. ὑποστάσις & *persona idem sunt*. Respectu huius ultimi & proprij significatus, inter Orthodoxos etiam Theologos quæritur, *an vocabulum* ὑποστάσεως, *personæ, sit vocabulum* ἔγγραφον & *Biblicum, vel* ἄγραφον & *merè-Ecclesiasticum*? Resp. cum D. D. Grawero in explicatione 1. cap. epist. ad Hebræos, quòd RECTIVS *sentire videantur illi, qui vocem* ὑποστάσεως, Hebr. 1. v. 3. per *personam vertunt, quàm illi, qui per essentiam reddunt*, ob 4. potissimùm media. 1. *Quæ originem in divinis significant, personalia sunt, & cum relatione ad personam dicuntur. Sed Imago significat originem quandam in divinis. E. 2. Quicquid relativè in divinis dicitur, personale est. At Imago relativè dicitur; Refertur enim persona ad personam immediatè, & non immediatè ad essentiam. Hæc enim numero eadem. Ergò. 3. Qualiter dicitur* FILIVS, *taliter etiam Imago. At Filius patris & personæ patris filius, rectè dicitur. Ergò. 4. Imago rei non est res ipsa, cuius est imago, ex naturâ relatè-oppositorum. Si ergò Filius* ἀκριβῶς & *propriè loquendo, est Imago essentiæ patris. Ergò non erit essentia patris. Ergò habebit aliam essentiam, quàm pater, quod* ἀθεόλογον. Rectè autem subsumitur. *Filius est Imago*

personæ

personæ patris. Ergò non est ipsa persona patris, in quo autem ratio imaginis consistat, non quidem expressè scribitur, facilè tamen subintelligitur, quòd sit in VNITATE ESSENTIALI, Quâ CONVENIVNT. Eodem modo interpretati sunt ὑπόστασιν Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Basilius, &c.

VIII. UNITAS, respectu *æquivocationis* sumitur vel *numeraliter*, ut dicitur *principium numeri*, Eins/ vel *transcendentaliter*, prout *unum convertitur cum ente*, & prout *unum* nihil aliud significat, quàm ENS *indivisum*, & quidem non *universale*, sed *singulare*, non *compositum*, sed *simplex*. *Fundamentum* hujus *Termini* est Deut. 6. vers. 4. *Iehovah* UNVS *est*; Ioh. 10. v. 30. *Ego & Pater* UNUM *sumus*.

IX. TRIPLICITAS, PER SE, notat *trium complexum*, sive quod *ex tribus partibus compositum* est; TRINITAS verò vel TRINVS *trium personarum numerum*, ut *rectiùs & certiùs* dixerimus, DEUM esse *Trinum*, quàm *Triplicem*. Ergò mera calumnia est, quam Smalcius disput. 1. contra Frantz. cum Bellarmino in præfat. secundæ controversiæ, & Gregorio de Valentia, lib. 1. de Trinitate cap. 7. fovent, Lutherum, *Articulum Trinitatis* habuisse suspectum. Aliud enim est, de incommoditate πράγματος, aliud de incommoditate πράγματος loqui. Lutherus inidoneum esse docet Vocabulum Dreyfaltigkeit/ REM sartam tectam custodit, & contra omnes portas Inferorum piè defendit; Verba ipsa solutionem offerunt in Postillâ Ecclesiasticâ super Epist. Dom. Trin. fol. CXLIV. A. Wiewol ich von diesem Articul sonst viel vnd offt gelehrt/ vnd geschriben hab/ müssen wir doch hie auch ettwaß in der Summa darvon sagen. Es ist wol nicht ein Köstlich Teutsch/ lautet auch nicht fein/ GOtt also zunennen/ mitt dem Wort/ Dreyfaltigkeit: (wie auch das Lateinisch Tri-

nitas

nitas nicht köstlich lautet/) aber weil mans nicht besser hatt/ müssen wir reden / wie wir können. Dann dieser Articul ist so hoch vber Menschliche Verstand vnd Sprach/ daß Gott als ein Vatter seinen Kindern muoß zu gutt halten / daß wir STAMMLEN vnd LALLEN, so gutt wir können/ so nun der Glaub Rein vnd Recht ist. Dann man will dannoch so viel mit diesem Wort sagen / daß da soll geglaubt werden/ daß die Göttliche Majestät seye Drey vnderschidne Personen/ eines Wahrhafftigen Ewigen Wesens. Hactenus Lutherus. Basis autem vocabuli TRINITATIS est, 1. Joh. 5. in CONCRETO, ex quo ABSTRACTVM perspicuè fluit. ET HI TRES VNVM SVNT. Dicenim TRES esse VNVM in *Concreto*, & reipsa dixisti TRINITATEM in *Abstracto*. *Trinitas* enim est TRIVM VNITAS, secundum significationem Ecclesiasticam.

X. Particula DE in hoc articulo non significat Principium QVASI *materiale*, contra Henricum, & Durandum, sed *principium consubstantiale*. Vazquez fol. 308. 309.

XI. GENERATIO vel est *Physica*, vel *Metaphysica*, vel *Hyperphysica*. Physica est de NON-ESSE *ad* ESSE. Metaphysica est *spirituum*. Hyperphysica est *Filij ex substantiâ Patris productio æterna*, juxta Symbolum Athanas. Concil. Ephes. Damasc. l. 1. Orth. F. c. 8. Vide Disput. Inauguralem pagin. 17. & 18. Fundamentum Hyperphysicæ sufficienter jactum est VEL Psal. 2. FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE.

XII. PROCESSIO vel sumitur 1. *generaliter*, vel 2. *specialiter* vel 3. *specialissimè*. 1. *Generaliter* pro *omni egressione & emanatione* 1. *inanimatorum*, vt Job. 38. v. 29. *De cujus utero egressa est glacies?* Matth. 15. v. 11. & 18. Marc. 7. vers. 21. Ephes. 4. v. 29. Apoc. 1. v. 16. 2. *animatorum*. Vt Matth. 17. v. 21. c. 20. v. 29. Marc. 1. v. 5. c. 10. v. 1. 17. 46.

Luc. 3. v. 7. Act. 9. v. 28. &c. II. *Specialiter*, pro *generatione hominum*, ut Jud. 8. v. 30. *Septuaginta filij egressi sunt de femore Ierubbaal.* III. *Specialissimè*, pro *processione S.S.* Joh. 16. v. 26. SPIRITVS *veritatis, qui à* PATRE PROCEDIT. A Patre autem PROCEDERE est ESSE EX DEO *per* ἐκπόρευσιν, uti definitionem hanc Paulus 1. Cor. 2. vers. 12. suppeditat: NOS NON *spiritum mundi accepimus*, ἀλλὰ ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ, ΤΟ ΕΚ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, *sed* SPIRITVM, QVI EX DEO EST (per processionem illam inenarrabilem) *ut sciamus, quæ à* DEO *donata sint Nobis.* Vide ἀπόδειξιν nostram de Spiritu S. à pag. 35. ad 47. Quomodo autem *Generatio Filij, & processio Spiritûs Sancti* differant, graviter quæritur. I. August. & Naz. profitentur PIE suam *ignorantiam.* Ita enim Augustinus: *Distinguere nescio, non valeo, non sufficio*, PROPTEREA, *quia sicut generatio, ita processio inenarrabilis est.* Et Nazianz. lib. 5. de Theol. *Dic Tu mihi quid sit generatio, & ego dicam Tibi, quid sit processio, ut* AMBO *insaniamus Dei secreta rimando.* II. Scholastici verò omnes pro viribus conantur defendere, *Generationem esse operationem intellectûs, & processionem voluntatis.* Ita enim *S. Thomas, Cajetanus*, Recentiores Thomistæ art. 3. & 5. *Canarienf.* Disputat. unica in eundem art. 5. *Alexander* de verbi processione 1. part. quæst. 42. m. 2. de processione S.S. quæst. 43. m. 3. art. 1. *Bonaventura* de verbi processione in primum distinct. 27. quæst. 1. de processione S. S. dist. 10. per plures quæstiones de utrâque processione eodem modo loquuntur *Henricus*, quodlibet. 6. quæst. 1. *Scotus* quodlibet. 2. art. 2. in primum distinct. 2. p. 2. quæst. 4. quæ est in ordine 7. & dlstinct. 27. quæst. 1. & 2. *Ricardus* in primum distinct. 2. quæst. 1. *Marf.* in primum quæst. 6. art. 1. *Gabriel* in primum distinct. 7. quæst. 2. art. 1. 2. & 3. Succenturiantur Patres, *Irenæus* l. 2. c. 48. *Basilius* homiliâ in

1. cap.

1. cap. Johannis. *Cyrillus* lib. 1. in Johannis cap. 5. *Theodoretus* lib. 2. ad Græcos. *Anselmus* in Monologio c. 45. 46. 47. 48. &c. Medium distinctionis hujus desumere laborant Scholastici è Sacrâ Scripturâ; quia enim FILIVS Dei dicitur ΛΟΓΟΣ, Joan. 1. concludunt, *Filij generationem* esse INTELLECTVS *operationem*, eò quod τὸν Λόγον signat ὁ νοῦς, *Intellectus*: 2. quia Spiritus Sanctus dicitur AMOR, fortassis Ephes. 1. v. 14. *Spiritus Sanctus est ἀρραβὼν, arrha hæreditatis nostræ, &c.* concludunt, *Spiritus Sancti processionem* esse VOLVNTATIS *operationem*, eò quod *Amor* ad *Voluntatem* spectet. Quantùm autem hæc media possint, D. D. Nicolaus Selneccerus operum lat. parte primâ Lipsiæ an. 1584. pagin. 191. 192. his docet verbis: *Quæritur, Filium esse natum cogitatione Patris, & Spiritum Sanctum procedere à voluntate Patris & Filij?* Resp. *Hæc per similitudinem dicuntur, ut res æternæ per umbram in natura hominis positam aliquo modo conspici & celebrari possit. Sicut enim nostræ mentes cogitando formant imagines rerum, & noster sermo est imago & character cogitationum mentis, ita utcunque possumus hoc arduum mysterium adumbrare, quòd scilicet æternus Pater sese agnoscens & cogitans, gignat imaginem sui integram, in qua ipse integrè lucet* ὡς καὶ ἡμέτερος λόγος ὅλην ἡμῶν ἀπεικονίζεται τὴν ἔννοιαν, καὶ ἔστι γε ἐν τῇ καρδίᾳ νοήματος ἀπεικόνισμα γε λεγόμενον, *ut Basilius pag. 357. loquitur, & idem Nazianzenus in descriptione Filij Dei repetit, inquiens: Filius habet se ad Patrem* ὡς πρὸς νοῦν λόγος, *sicut verbum ad mentem.*

Et Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 12. Mens, inquit, est quasi parens, & notitia ejus quasi proles: Mens enim cum se agnoscit, notitiam sui gignit, quæ est imago sui. Tertium est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, dum mens cognoscit se, & diligit se. Et Lutherus in primo capite Genes. discernens verbum increatum, quod est Filius, à verbo creato, piè dicit, verbum increatum esse di-

vinam cogitationem, & jussionem internam, manentem in Deo, & idem cum Deo, & tamen distinctam personam. In hac piae explicatione quæ nihil habet absurditatis, acquiescamus, & integram cognitionem hujus sapientiæ reservemus, ad vitam æternam. Sobriè autem & cautè similitudine istâ utamur. Verbum enim hominis non est persona, ut hac de re Athanasius diligenter monet contra Sabellium de æterna substantia Filij, & Spiritus Sancti cum Patre, negans Filium esse cogitabile verbum in corde Patris, licet alibi eadem similitudine utatur, ut contra Arianos in Epistola de Sententia Dionysij, &c. Satis sit scire, Patrem habere Filium, & Filium ab æterno Patre esse genitum, & Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio. De modo non simus soliciti. Qui enim in tempore vivimus, non intelligimus æterna, nisi ad æternitatem proveniamus. Ideo etiam LICET SIMILITVDINEM ILLAM ANTIQVITATIS REVERENTER ET PARCE VSVRPEMVS: TAMEN NVLLIVS FIDEM ET CONSCIENTIAM AD ILLAM OBLIGAMVS, SED PIIS MENTIBVS PIE ET LIBERE CONSIDERANDAM RECITAMVS, ET PERTINACITER DE ILLA NEQVAQVAM PVGNAMVS, SED EA ABVTENTIBVS CONTRADICIMVS.

ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

I. Ἀρνητικῶς, non probat distinctim *Filium esse verum ab æterna* DEVM, *& personam à Patre & S. S. distinctam.* Hoc concluſum enim peculiaribus disputationibus assertum, & contra *Photinianos* vindicatum est. II. non probat distinctim, *Spiritum Sanctum esse verum ab æterno* DEVM, *& personam à Patre & Filio distinctam: Et hoc enim concluſum peculiari disput. defensatum est:* Sed θετικῶς, *positivè* probat I. VNVM *esse* DEVM *ratione essentiæ*; II. HVNC VNVM *esse* TRINVM *in* PERSONIS; III. *Quomodo hæ personæ* DISTINGVANTVR.

I. CON-

I. CONCLVSVM.

DEVM esse VNVM, non *genere*, non *specie*, non *subjecto*, non *definitione*, non *continuitate*, non nudâ *consensione*, &c. sed absolutè, VNVM NVMERO, probatur. I. illis dictis, quæ VNVM DEVM *esse*, perspicuis verbis exprimunt, ut Deut. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus* DEVS *noster, Iehovah* VNVS: שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד: in quo versiculo *duo Grammaticalia*, contra *cõmunem consuetudinem*, observanda veniunt; I. in verbo שׁמע *audi*, litera ע *majuscula* in omnibus authenticis editionibus legitur. Judæi dicunt, notari per hoc ע 70. *nomina Israelis*, & *legis interpretationes*. Potiùs videtur hâc *majusculâ picturâ* τοῦ ע *attentio captari*, ut illicèt omnes quærant, quæ sit *insolens quantitas hujus literæ*, & hoc modo per hanc quæstionem diducantur ad *majorem considerationem* seq. præceptorum. II. in ultimâ voce אחד ד *majori quantitate* pingitur, quàm communis manus pingit. Judæi scribunt, hoc magnum ד *quator mundi plagas notare, in quibus* DEVS *habet imperium*. Verùm etiam hoc loco plausibilius fit, per majorem quantitatem τοῦ ד in אחד VNVS, innui *ineloquibilem & summam unitatem essentiæ divinæ*. Quidquid autem sit, cùm hæc pictura harum *duarum literarum*, in graphicâ hâc sententiâ, contra *vulgarem ductum*, uniformiter à Judæis observata fuerit, vix *frustrà* factam esse dicemus. Nos, non *apodictè* sed *topicè*, *probabiliter*, & *plausibiliter*, pro ingenio horum Grammaticalium, *majorem quantitatem horum duorum elementorum* ד & ע adhibebimus, ad rem hanc *augendam* & *amplificandam*. שׁמע *Audi, & maximè audi Israel, Iehovah* DEVS *noster*, JEHOVAH, אחד VNVS, simplicissimè VNVS est, nempe ad *numerum* VNAM ESSENTIAM. Repetitur Marc. 12. v. 29. Matth. 19. v. 17. *Nemo est bonus,*

nisi VNVS DEVS. 1. Cor. 8. v. 6 *Nullus est Deus alius, nisi* VNVS. *Nam etsi sunt, qui dicantur Dij, sive in cœlo, sive in terrâ, (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen* VNVS EST DEVS, *Pater, ex quo omnia & nos in illum, &* VNVS *Dominus* JESVS *Christus, per quem* OMNIA, *& nos per ipsum.* Gal. 3. v. 20. DEVS VNVS EST. Ephes. 4. vers. 6. VNVS DEVS, *& Pater omnium.* 1. Tim. 2. vers. 5. VNVS DEVS. II. è dictis, quæ DEVM SOLVM esse testantur; Deut. 32. v. 39. *Videte, quòd* EGO EGO *sim, & non sit* DEVS *mecum.* 2. Reg. 19. vers. 15. 19. TV *es* DEVS SOLVS. Psalm. 86. v. 10. Esai. 37. v. 20. Joan. 17. vers. 3. Rom. 16. v. 27. 1. Tim. 1. v. 17. III. è locis quæ *exclusivis particulis*, DEVM VNVM *esse* docent, Deut. 4. v. 35. 39. 1. Sam. 2. v. 2. 2. Sam. 7. v. 22. c. 22. v. 32. 1. Reg. 8. v. 60. 2. Reg. 5. v. 15. 1. Paral. 17. v. 20. 2. Par. 6. v. 14. Esai. 44. v. 8. 24. c. 45. v. 5. c. 46. v. 9. Joel. 2. v. 27. IV. è dictis, quæ DEVM *primum* & *novissimum* esse volunt; Esai. 41. v. 4. c. 44. v. 6. c. 48. v. 12. Apoc. 1. v. 8. c. 21. v. 6. c. 22. v. 13. *Ego sum alpha & ὁ μέγας, primus & novissimus, principium & finis.* His V. adjicimus *supremi Entis independentiam*, 2. *omnisufficientiam*, 3. *infinitudinem*, 4. *absolutam dominationem*, quibus etiam saniores Philosophi VNVM SVMMVM ENS statuendum esse perspexerunt. Argumentamur:

Ille, qui hoc modo VNVS *est, ut opponatur* DIIS *gentium* MVLTIS NVMERO *&* ESSENTIÂ, VNVS NVMERO *&* ESSENTIÂ ABSOLVTÈ *est*; ex naturâ oppositorum: AT DEVS *Christianorum hoc modo* VNVS *est, ut opponatur* DIIS GENTIVM MVLTIS NVMERO *&* ESSENTIA. Minor ex dictis claret, maximè verò loco 1. Corinth. 8. *Ergò* DEVS *Christianorum* VNVS NVMERO *&* ESSENTIA *absolutè est, ut præter eum non sit alius.*

Anti-

Antitheſis.

Vnitatem hanc 1. OBLIQVE labefactant *Calviniani* Doctores, *periculoſis locutionibus, quando* DEO *genus, & ſpeciem, & partes* tribuunt; 2. *Arianizantibus interpretationibus*, quando cum Calvino Patre, loca, Joh. 10. v. 30. EGO *& Pater* VNVM *ſumus*; 1. Joh. 5. v. 7. *Et hi tres* VNVM *ſunt*, non de ESSENTIÂ, ſed de CONSENSV interpretantur. Audio, quid contrà murmurent, *manifeſtum illis fieri injuriam.* VTINAM? neipſi in tantis erroribus hærerent. Fatemur ipſi, quòd S. S. multis illorum *multa miniſtrantia dona* largè contulerit, quibus armati multùm in *hoc Articulo* contra *AntiTrinitarios* præſtiterint. Sed nondum immunes ab *obliquâ deſtructione*, quouſque hæc excluſiva verba Calvini (NON *de ſubſtantiæ identitate, ſed de* SOLA CONSENSVS VNITATE) defenſant. Quòd autem non ſint immunes, patet ex *ipſis Photinianis*, qui ſtrenuè *hanc interpretationem* urgent, ut *Georgius Blandrata* Photinianus, in Colloquio Tranſſylvanico, cum Calvinianis habito, anno 1568. Claudiopoli, per Caſparum Heltum Typis evulgato, in actis diei ſecundi lit. E. fac. A. & *Franciſcus Davidis* eodem Colloquio. Ergò videant, ne Arianis, his Arianizantibus principijs, ulteriùs arma porrigant, cùm alias contra ipſos in hoc Articulo ſtrenuè depugnent.

II. DIRECTÈ impugnant primò POLYTHEITÆ, *Ethnici*, qui TOT *Deos* finxerunt, *quot numerare* difficillimum eſt: ſecundò DYTHEITÆ. 1. *Marcion*, qui *Cerdonis* Præceptoris veſtigia ſequutus anno Chriſti 157. docuit, *alium eſſe* DEVM *V. T. videlicèt* JVSTVM, *ſeverum, & peccatorum vindicem*; *& alium N. T. videlicèt miſericordem, longanimem, & beneficum.* 2. *Manes*, qui anno Chriſti 272. ſparſit, *duos eſſe Deos*, unum *bonum, omnis boni cauſam*, & alterum

malum,

malum, à quo omnis ἀπιστία. Tertiò, *Photiniani*, quibus DEVS VNVS esse dicitur ἁπλῶς & simpliciter, nempe tàm respectu *essentiæ*, quàm *personæ.* Valentinus Smalcius Gothanus Refutat. Thesium de Trinitate pag. 4.

II. CONCLUSUM.

DEUM UNUM essentiâ, esse TRINUM personis.

Quamvis ratio ordinis postularet, ut à V. T. ad Novum T. à prioribus testimonijs ad posteriora, progrederemur, quia tamen *priora* non tàm lucida, quàm *posteriora*, & Adversarij minùs ad *posteriora* excipere possunt, inverso ordine, à postremis dictis N. T. incipiemus, & ad prima retrogrediemur.

I. Dictum, pro nostro concluso est, 1. Joh. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*, PATER, VERBVM, ET SPIRITVS SANCTVS, & HI TRES VNVM SVNT. Antequam autem nostrum concluſum ex hoc dicto corroboremus, priùs hujus κανονικὸν εἶναι astruemus; allegatum autem locum, germanam esse TOTIVS Canonicæ Scripturæ partem, probatur ἡνωμένως, non διηρημένως, συμπεπλεγμένως, & κεχωρισμένως, *conjunctim*, non *divisim.* ¶. I. antiquissimorum & probatissimorum *Exemplarium testificatione*, & 1. *Codicibus Græcis*, qui *tempore Hieronymi* extiterunt. Vixit autem Hieronymus sub finem *quarti* à nativitate Christi *sæculi* quod ipse testatur Comm. in Hoseam paulò minùs quàm 400. quæ commentatus est, à Christi passione esse annum. Codices ergò tempore Hieronymi divulgati fuêre *antiquissimi*, & *antographis Apostolorum maximè conformes.* Sed hi omnes versiculum Johannæum habuerunt, ut Hier. docet in Prologo in Ep. Canonicam

nicam ad Eustochium. 2. Codice *Britannico*, de quo Erasmus in Annotat. Anno 40. editis p. 770. & ad quem etiam provocant *Beza* in Annot. p. 614. & *Sixtus Senensis* in Bibliothecâ l. 7. p. 613. 3. Codicibus, quibus editio *Complutensis* adornata est. 4. Codicibus *Laurentij Vallæ* qui nullius discrepantiæ in hoc loco meminit, quod telum Eduardus Leus fortiter in Erasmum torquet. 5. Codicibus *Hervagij Basileensis* an. 1545. ubi ad calcem quidem *diversa lectio* adjecta est, *sed de loco Iohannæo nulla.* 6. Vetustissimis *Roberti Stephani* Codicibus, qui anno 1550. scriptum edidit quo *variam Lectionem*, quam in 17. Cod. Græcis deprehendit exposuit; & quanquam Pericope Johannis in 7. Codicibus abfuerit, in *novem tamen adfuit*, quorum & *potiorum*, & *antiquiorum*, & *plurium fidem* secutus est. 7. Exemplaribus, quæ *Arias Montanus* in opere Regio, *Elias Hutterus* Hamburgi, & autor *VVechelianæ editionis*, sequuti sunt. §. II. Ex *variarum Lectionum collatione*. Bibliorum Translatores in Originalem linguam oportet esse intentissimos; *plerique* autem hoc effatum Johannis *habent*: quare meritò statuitur, hoc *in vetustioribus extitisse*. Legitur enim I. in *Latinâ*, quam Hieronymus restituit: 2. *Constantiensi*: 3. *Antuerpiensi*. II. Versione *Germanicâ* An. 1471. 1477. 1483. Norimb. An. 1518. Augustæ Vindelicorum. III. In versione *Hispanicâ* An. 1579. IV. *Sclavonicâ*, Wittebergæ An. 1584. ex scripta. §. III. Ex *Ecclesiasticorum allegatione*. Non-Entis nulla sunt accidentia, dicunt Logici. Si autem hoc dictum non fuisset in *vetustioribus*, *allegari* non potuisset. Sed allegat 1. in *secundo seculo*, *Hyginus* Epist. Rom. Epist. 1. ad omnes Christi fideles tom. 1. Concil. pag. 129. Edit Bin. quamvis de ὑγιείᾳ Hygini propter styli qualitatem à florentissimo illo seculo alienam, à nonnullis dubitetur: sunt 2. in *tertio sæculo*, *Cyprianus*, Carthaginensis Presby-

ter, qui anno Christi 260. martyrio coronatus est, in l. de simpl. Prælat. non longè à principio p. 164. 3. in *quarto* 1. *Athanasius* 1. in Disput. contra Arium sub finem Tom. 1. p. 119. edit. Commelin. 2. l. 1. ad Theophil. de unitâ Deitate Trinitatis Tom. 2. col. 399. 3. lib. 7. ad Theophil. tom. ejusdem col. 432. 2. *Idacius Clarus*, Tom. 4. Bibl. Patrum, & in Hæreseologia Basil. An. 56. p. 257. 3. *Hieronymus*, de quo ipsis Photinianis constat. Etsi autem Photiniani *hoc vel illud fortasse fieri potuisse* somnient, nondum tamen adæquata causa est, cur Hieronymum dejiciamus; quæ enim sequela? *potuit: Forsan.* Ergò, est. 4. in *quinto sæculo*, *Victor Vticensis*, qui sub Imperat. Zenone An. 490. floruit. l. 2. de Persecutione Vandal. 5. in *sexto* 1. *Fulgentius* in Resp. ad objecta Arianorum in Hæreseol. Basil. Anno 56. p. 47. 2. *Iohannes*, II. Episcopus Romanus, in Epistolâ ad Val. Episcopum, quæ extat Tom. 2. Concil. edit Bin. p. 403. 6. de scriptoribus seqq. sæculorum nulla est dubitatio, quin hunc versum legerint. *Berhardus* circa annum Christi 1130. duos peculiares sermones composuit de *tribus in cælo & in terrâ testibus*, sem. 16. col. 438. §. IV. Ex συνεπεία καὶ συνεχεία textus. *Quæcunque sententia scopo optimè consonat, illa spuria non est*, nisi evidentissimè probetur, deesse illi sententiæ requisita ad Canonis essentiam necessaria. *Sed hæc congruit*; quod dicit *scopus* 1. *generalis*, & 2. *specialis*. 1. *Generalis*, qui est in *verâ doctrinâ de Christo*, & 2. *adhortatione ad sanctitatem vitæ.* Non autem Apostolum tantum *posteriorem*, sed etiam *priorem* ursisse, demonstrat 1. in GENERE officium Apostolicum, *testificatio de Christo* 1. Joh. 15. v. 27. Joh. 21. v. 24. Act. 1. v. 8. c. 10. v. 41. Apoc. 1. v. 2. cujus memor, Joh. c. 4. v. 14. dicit: *nos vidimus & testificamur, quòd Pater miserit Filium Salvatorem mundi.* 2. in SPECIE, I. Ex *contentorum* in hâc Epistolâ consideratione,

1. Collatio proœmij Epistolici cum Evangelio testatur, utrobique idem esse *objectum* Johan. 1. v. 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. 1. Johan. 1. v. 1. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Joh. 1. v. 1. λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν. 1. Johan. 1. v. 2. ἡ ζωὴ ἦν πρὸς τὸν πατέρα. Joh. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus.* 1. Joh. 1. v. 1. *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus.* 2. In Epistolæ meditullio c. 3. v. 24. *duplicem hunc scopum* proponit: *Hoc est mandatum* DEI, *ut credamus nomini Filij ejus Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis.* 3. In calce expressissimè etiam prioris scopi meminit: *Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filij* DEI, *ut sciatis, quia vitam æternam habetis, & ut credatis in nomen Filij* DEI; quæ omnia conveniunt cum clausulâ, Evangelij Johannis c. 20. v. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quòd Iesus sit Christus* DEI *Filius, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Argumentor: *In cujus scripti ingressu, progressu, egressu, doctrina de Christo vero* DEI *Filio, & mundi Messiâ enucleatur, ab illius scopo non potest sequestrari doctrina de Christo,* DEI *filio, & mundi Salvatore, assertio: Sed in hujus Epistolæ ingressu, progressu, & egressu hoc fit: Ergò.* II. à conditione *Hæreticorum* illius temporis. *Quæcunque sententia humanitatem & divinitatem Christi confirmat, illa generali Iohannitico scopo exactissimè congruit.* Consequentia patet; quia Anti-Christos 1. Joh. 2. v. 18. Pseudoprophetas 1. Johan. 4. v. 1. qui cum Basilide, *humanitatem,* vel cum Ebione & Cerintho, *Divinitatem* negârunt, refutat 1. Joh. 4. v. 2. c. 5. v. 20. *Sed hæc sententia de tribus in cælo testibus deitatem & humanitatem Christi maximè confirmat.* ERGÒ. II. *Specialis scopus* cap. 5. urget *salvificam fidem,* & hujus 1. *salutarem efficaciam* v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c. 2. *immobile Fidei fundamentum,* Christum DEI filium à v. 6. usque ad 13. 3. *Repugnantia fidei,* 1. Voluntaria peccata v. 18. 2. εἰδωλολατρείαν. Argumentor: *Quæ sententia scopo*

alicujus capitis congruit, illa non est ſpuria. Sed Tres in cœlo teſtes maximè confirmant fulcrum & fundamentum fidei, Chriſtum. Ergò. Cùm enim Apoſtolus in animo habuerit, *irrefragabiles teſtes* producere, qui Chriſtum *verum* DEUM, *& Verum Hominem*, immotum fidei fundamentum eſſe teſtentur, utique non potuit commodè hoc ſummum & irrefragabile adorandæ Trinitatis teſtimonium intermitti, quod *ſingulæ Trinitatis perſonæ*, ad confirmationem fidei protulêre. §. V. *Ex verſiculi hujus cum alijs Evangeliſtæ ſcriptis conſenſione.* Probari id poteſt ex *terminis ſimplicibus & phraſibus conjunctis.* Terminus ſimplex, ΛΟΓΟΣ, Johanni familiaris eſt, Evang. c. 1. v. 14. Apoc. 19. v. 13. Pater de Chriſto *teſtificatur* Joh. 5. v. 37. immediatè Joh. 12. v. 28. mediatè Joh. 1. v. 6. c. 5. v. 33. 36. c. 14. v. 10. Filius de ſe. ipſo *teſtificatur* Johan. 3. v. 11. 31. cap. 8. v. 14. Apoc. 1. v. 5. 1. *Verbis* Joh. 4. v. 26. c. 5. v. 51. 2. *miraculis* Joh. 5. v. 36. cap. 10. v. 37. Patris & Filij *teſtimonium* conjunguntur Johan. 8. v. 17. 18. Spiritus Sanctus de Filio *teſtificatur* 1. per *viſibilem deſcenſum* Johan. 1. v. 32. 2. per *Scripturarum promulgationem* Joh. 5. v. 39. 3. per *Apoſtolorum prædicationem* Joh. 15. v. 26. 27. *Tres illi teſtes dicuntur in* COELO. Hoc etiam Evangelio congruit. De *Patre* Joh. 12. v. 28. De *verbo* Joh. 3. v. 13. 31. Joh. 6. v. 38. 51. De *Spiritu Sancto* Joh. 1. v. 32. Tres illi teſtes dicuntur VNVM, quemadmodum Ioh. 10. v. 30. *Ego & Pater* VNVM *ſumus.* Maximè autem adfine eſt παραλλήλως c. 16. v. 13. 14. 15. §. VI. Ex πανάρμονία & ἀναλογία *Fidei.* Idem enim docet, quod Matthæus cap. 3. v. 17. c. 28. v. 19. §. VII. Ab *additionis & omiſſionis* παρεπιδήμῳ Apoſtolico. Quia enim verſiculus hic ſeptimus in quibuſdam codicibus lectus, in quibuſdam non lectus fuit, vel *additus* vel *detractus* fuit; Vtrumque vel *dolo*, vel *caſu.* Si DOLO, magis veriſimile eſt ab *Arianis* expunctum

ctum esse, quàm ab *Orthodoxis* inspersum. Consequentia patet, quia Historia Ecclesiastica *multis exemplis hanc Hæreticorum in corruptione Scripturarum audaciam* demonstrat, quod nosse licet ex Ambrosio l. 5. de fide cap. 7. l. 3. de S.S. c. 11. l. 7. Histor. Eccles. c. 32. & in Tripart. l. 12. c. 4. Orthodoxis autem nota fuit *comminatio* Iohannitica; *Si quis apposuerit ad hæc, apponet* DEVS *super illum plagas*. 2. Norunt Orthodoxi, veritatem cœlicam suis suffultam esse fundaminibus, & non indigere *fuco mendaciorum*. 3. In promptu habuerunt *alia testimonia*, quibus Patris, & Filij, & S.S. ὁμοουσίαν consolidare potuerunt, & nulla incubuit necessitas *falsa* confingendi. 4. De Iudæis scribit Philo, *quòd centies potius mortem oppetere voluerint, quàm permittere, ut in aliquo apice eloquia* DEI *mutarentur*: num existimabimus Ecclesiam N. Test. *negligentiorem* fuisse, quæ *columna veritatis* 1. Timoth. 3. v. 15. Si CASVI adjudicandum est, potius in *omissione* locum habet. Vix enim *casui* tribui potest, si quis *integram sententiam textui interserit*: facilè autem fieri potest, ut aliquid *omittatur*. Ex quibus omnibus conjunctim, non disjunctim sumptis, firmiter concluditur, *hanc partem non esse adjectitiam, supposititiam*, vel *spuriam*, sed *germanam & adæquatam*. Megalandrum nostrum Lutherum quod attinet, usus is est exemplari, *in quo locum hunc non legit*; eundem ergo germanicè dare non potuit; distinguendum proinde inter *omissionem probabili quâdam ratione factam*, & inter *evulsionem privato, temerario & hæretico ausu susceptam*. Prius concedimus: posterius negamus. Postquam enim apparuit συνάφειαν & vetustatem hunc versum requirere, interserrtus est. Vide edit. Bibl. Ger. Wit. Anno 1606.

Contrà Photiniani Quinque potissimum objiciunt quibus ἀκαταγνωστον εἶναι hujus partis obtinere student. I. medium ab *exemplarium varietate* desumunt. Socinus adver-

sus Bell. & Wiekum c. 5. class. 3. arg. 11. *Certum est emendatiora Græca exemplaria, & antiquiora Latina verba illa non habere. Syriaca verò prorsus non habet.* Idem in Commentar. 1. Ioh. 5. p. 416. *Verba esse adulterina, & ab hominibus, qui suum dogma de Trino & uno* DEO, *quâcunque ratione, defendere voluerunt, in hunc locum infarcta facilè intelligi potest ex eo, quod mira & supra modum multiplex est varietas in exemplaribus tam Græcis, quàm Latinis in toto hoc loco.* In animadversione ad assert. 17. Posnan. num. 5. pag. 69. respondsurus ad arg. ex hoc loco deductum. *Præclarum verò* (inquit) *testimonium, quod non solum planè controversum est, sed antiquioribus etiam cum Latinis, tum Græcis Codicibus abest, quodque Syriacus Interpres nullo modo agnoscit.* Idem urget Erasmus in annotat. h. l. p. 769. ad quem etiam Socinus provocat. *Cùm constet*, (inquit) *& apud Græcos & apud Latinos olim variasse lectionem, nihil hoc telum adversus Arianos valebit.* Et postea. *Exemplar, quod Hispani in Complutensi editione secuti sunt, dissonat ab Exemplar. Britannico quod hîc adduntur articuli ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, τὸ πνεῦμα, qui non addebantur in Britannico. Deinde quod Britannicum habebat, οὗτοι οἱ τρεῖς, Hispaniense tantùm, καὶ οἱ τρεῖς, quod idem fit in Spiritu, aqua, & sanguine. Praterea, quod Britannicum habebat, ἕν εἰσι, Hispaniense, εἰς τὸ ἕν εἰσι. Postremò, quod Britannicum etiam in Terræ Testimonio adjiciebat, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, quod non addebatur hîc duntaxat in edit. Hispaniensi.* Concludemus hæc omnia tribus Syllogismis. 1. *Vbicunque est Codicum varitas, ibi periclitatur Canonis veritas; Sed in hoc dicto est Codicum varietas. Ergò periclitatur Canonis veritas.* Resp. Majorem limitando, ne elenchus secundum non causam ut causam committatur: Vbicunque est Codicum Vetustissimorum Originalium, *non Adversariorum corruptelas sequentium*, varietas, & 2. manifestè probatur, *de esse illi sententiæ requisita reliqua ad Canonicæ Scripturæ integri-*

tatem

item necessaria, ibi periclitatur Canonis veritas, qua limitatione præmissa, Minor negatur, cum hic versiculus in *omnibus Vetustioribus Codicibus* Græcis, Teste Hieronymo legatur, qui hoc medio termino Interpretes *infidelitatis* accusat, in prolog. epist. canon. ad Eustochium. *Hæ epistolæ* (inquit) *si, ut à Græcis autoribus digestæ sunt, ita ab Interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium; nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipuè loco, ubi de Vnitate Trinitatis in primâ Iohannis epist. positum legimus, in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate, comperimus, &c.* Patet ergò, tempore Hieronymi in *omnibus Græcis Codicibus* hanc periopen fuisse, aliâs interpretes illi Hieronymo obvertere potuissent, quod non invenerint eam *in omnibus Codicibus*. Qui autem Græci Codices *sequentibus temporibus* omiserunt, *Hieronymianis non præjudicare*, sed *ex illis corrigi debent*, secundum illud Tertulliani l. 4. adversus Marc. cap. 5. *id* VERIVS, *quod prius*; *id prius, quod ab initio*; *id ab initio, quod ab Apostolis*. II. Syllogismus potest esse talis: *Quod Syriaca Versio non agnoscit, illud est ἀκανόνιστον. At hoc emblema Iohannæum Syriaca versio non habet. Ergo.* Resp. In Majore committi elenchum Causæ. Etsi enim *Syriaca Versio*, ex omnibus Versionibus N. T. *primum locum habeat*, & omninò *Versio felicissima* sit, nihilominus, cùm RIVVS sit, *fonti Græco aquiparari non potest*. III. Syllogismus: *Quacunque articulo variant addito, vel subtracto, illa supposititia sunt, At noster locus est talis, &c.* Ergò. Minor probatur, *exemplaribus Britannico & Hispanico*. Resp. In Majore eâdem, quâ prius, fallaciâ peccatur. Si enim hæc varietas adæquata causa est proscriptionis, cur non etiam Testimonium *aquæ, sanguinis & Spiritûs* ejiciunt? cur non etiam alia loca Canonicâ autoritate deturbant, in quibus *hæc Exemplaria variant*? sufficit,

cit, quod *utrumque Exemplar hunc locum ostendat* & ceu canonicam *legat.*

II. Medium est, quo *canonicam autoritatem* versiculi hujus infringere allaborant, *praeterm issa Veterum citatio.* Socinus in Comment. 1. Ioh. 5. p. 416. *Verba illa esse adulterina, intelligi potest, ex Testimonijs antiquorum Theologorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, qui maximâ ex parte hunc locum vel citantes vel explicantes, nullam mentionem faciunt triplicis testimonij Patris, & Filij, & S. S. in cœlo testantium, & fortasse ante Hieronymum vix ullus inveniretur, quî illud Testimonium hoc in loco plane agnoverit.* Eadem garrit Blandrata in Disput. Alb. act. 2. diei. Syllogismus potest esse Talis. *Quam partem Patres non allegant, illa spuria est. Sed hanc partem Patres non allegant. Ergò.* Resp. I. ad Majorem, illam illimitatè non esse veram. Nam 1. ad probationem alicujus quæstionis non semper *omnia media Biblica convasamus, & congerimus,* sed interdum hæc, interdum illa, interdum ista, &c. 2. Tantùm ex illo medio sequitur, quod Patres, non citantes hunc locum usi sint Codicibus Græcis vel Latinis, qui *hunc locum non habuerint.* Nulla autem sequela. Ergò *hic locus spurius est.* Defuit enim vel *librariorum negligentiâ*, vel *Arianorum malitiâ*, ut ad primum argumentum respondimus. II. Minorem negamus, è rationibus & allegationibus supra adductis. III. In argumento indirectè unicum hoc notamus, Quî Patres hâc quæstione quærant Photiniani, cùm Valent. Smalcius Refutat. Thesium W. Frantzij de Trinitate, *hæc ingerat?* Quomodo non ex varijs παραπαραδοτων effugijs vindicat suum dogma, qui Patrum Ecclesiæ Pontificiæ testimonio & consensu premere aliquem instituit? cùm certò constet potissimam Patrum partem Anticristiano quodam spiritu, multis in rebus, actos fuisse.

III. Medium

III. Medium est *contextus connexio*, 1. ex v. 6. 7. *in quibus aquæ, sanguinis & Spiritus fit mentio*, argumentum potest esse tale: *Quorum versu antegrediente mentionem fecit: illorum, & non aliorum meminit in sequenti: sed aquæ, sanguinis, & Spiritus, in versu antegrediente mentionem fecit*: Ergò. Resp. 1. ad Maiorem, committi manifestum elenchum consequentis, & fallaciam caussæ; hoc enim medio termino *omnia, quæ non in præcedentibus fuerint, è sequenti desumi possunt.* 2. ad Minorem; in genere, & implicitè Sex *testium* mentio fit, v. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus Dei filius est?* (habemus Ergò 1. *Patrem*, 2. *Filium*, propter æternam generationem) v. 6. *Hic est, qui venit aquâ & sanguine, Iesus Christus, non solùm aquâ, sed etiam sanguine* (habemus Ergò 3. *aquam*, 4. *sanguinem*) vers. 7. *Et Spiritus est, qui testatur, quod Spiritus veritas est*, (habemus ergò 5. & 6. *Spiritum*, qui in utroque testimonio) ut jure inverti posse videatur. Quorum in antecedentibus, illorum etiam in sequentibus mentio fit; sed in antecedentibus. 6. in genere & implicitè fit mentio. Ergò. Secundus medius terminus ex contextu est, quod *tractatio Trinitatis hoc loco sit supervacanea.* Resp. ad Minorem illam simpliciter negando, hoc argumento: *Quidquid omnium maximè & invictissimè testari potuit, Christum verum Deum, & hominem & Salvatorem esse, illud hoc loco supervacaneum non est.* Scopus enim Johanniticus hoc sibi Conclusum etiam propositum habet, uti suprà demonstravimus. At adoranda *Trias omnium optimè testari potuit.* Deus enim est, qui mentiri nequit. Ergò. Tertium medium ab incommodo desumit: *Non satis commodè Spiritus sanctus utrique testium ordini adjungitur.* Resp. negando; *commodissimè* enim hoc fit. Nam v. 7. per *Spiritum* intelligitur *tertia Trinitatis persona*, sed v. 8. *Anima*, quam Christus *cruce emisit*, per *aquam*, illa

aqua, & *sanguinem*, ille sanguis, quæ junctim *è latere Christi in cruce effluxerunt*: quanti enim Johan. hoc testimonium fecerit, cap. 19. patet, ubi dicit: *Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit, quod vera dicit,* UT ET VOS CREDATIS, &c.

IV. Medium contra Canonicam Autoritatem hujus partis, sumunt ex *fidei ἀναλογία*, & quidem dupliciter, I. *Vbi non opus est testibus, ibi certè præposterè constituuntur. Sed in cælo non est opus testibus. Ergò. &c.* Resp. ad Minorem, illam surgere ex fallaciâ *φεφσεως*. Ergò nullam esse. Nam *τὸ in cælo*, vel sumitur de illo *πᾶ*, quo sacrosancta Trias Angelis & beatis se manifestat, vel pro *descriptione cælestu, & divini*. h. l. non militat maximè prius, sed *posterius*, quod patet, 1. quia v. 9. hi testes in cœlo, dicuntur DEUS. *si testimonium* (inquit) *hominum recipimus, testimonium Dei* (testium in *cælo*, testium *divinorum*) *maius est*. 2. ex contextu, loquitur enim de Tali *testimonio*, per quod *fides piorum in hâc vitâ confirmatur*. quod autem *τὸ in cælo*, sumatur interdum pro *cælesti* & *divino*, multa loca monstrant.

II. Arg. Joh. 5. vers. 31. *Si ego de me ipso testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum, &c. Si Christus de seipso testatur, testimonium ipsius non est Verum. At hoc loco de seipso testatur. Ergò. Si hoc; Ergò locus spurius, quia Christum mendacij accusat.* Resp. ad Maiorem, illam non esse universaliter, & illimitatè veram. Ratio luculentissimo loco, Joh. 8. v. 12. datur: *Iesus locutus est Iudæis, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* v. 13. *Dixerunt ergò ei Pharisæi: Tu* DE TEIPSO *testaris, testimonium tuum non est verum.* v. 14. *Respondit* JESUS, *& dixit eis: Etsi* EGO *testimonium perhibeam de* MEIPSO, VERUM *est testimonium* MEUM: *quia scio, unde veni, & quo vado: vos autem nescitis, unde venio, & quò vado.*

v. 15.

v. 15. *Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam.* vers. 16. *porro* ETSI *judicem Ego, judicium meum verum est: Quia solus non sum, sed Ego, & qui me misit, Pater.* v. 17. *Quin & in lege scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.* v. 18. *Ego sum, qui testimonium fero de* MEIPSO, *& testimonium fert de* ME, *qui misit* ME *Pater.* Habes Ergò solutionem, Photine, quod Christi testimonium DE SEIPSO verum sit, ut ipse firmiter probat. Limita ergò maiorem. Si Christus de seipso testatur, testimonium ipsius non est verum, scil. *apud Iudæos illos, qui existimant* SECUNDUM *carnem, Christum proprio ausu & arbitrio, citra Patris testimonium, testificari*; Elenchus ergò à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

V. Med. contra Canonem h. d. ducunt ex φεγέσεως observatione. Socinus in comment. super h. l. p. 421. *Quod Dei filius, seu Iesus Christus neutro ex his nominibus, sed verbum appellatur, mihi videtur esse indicium aliquod istorum verborum additititiorum: dicunt enim post* v. 14. cap. 1. *Iohannem non ulterius vocabulum* Λόγος *adhibere, utpote in quo incarnationem descripserit,* ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο. Syllogismus sit talis: *Post incarnationem descriptam Iohannes non ulterius* τῷ Λόγῳ *utitur.* At hoc loco utitur τῷ Λόγῳ, Ergo. Resp. Maiorem negando. Apocalypseως 19. v. 13. describitur Λόγος ἔνσαρκος: mentio enim fit *oculorum, capitis, vestis sanguine aspersa,* & tamen dicitur, ὁ Λόγος τ͂ Θεȣ̃. v. 12. *Oculi ipsius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* v. 13. *Et vestitus veste aspersâ sanguine, & vocatur nomen eius,* ὁ ΛΟΓΟΣ τ͂ Θεȣ̃. Et hæc decanonicâ authoritate hujus loci; quâ positâ, ad nostrum conclusum pergimus ex illo corroborandum, DEUM UNUM essentiâ, *Trinum esse in personis. argumentor*: QUOT *sunt testes in cœlo* κυρίως, *& proprie* (NB) *dicti,* TOT *etiam sunt*

personæ. Consequentia firma est, quia τὸ *Testem esse*, propriè competit *personæ*, quod etiam Adamus Goslavus contra Keckerm. part. 1. cap. 4. pag. 50. his fatetur verbis: *Si* PROPRIÈ *loquamur, res ita se habet.* AT TRES *sunt in cœlo* TESTES *propriè dicti*, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. *Ergò* TRES *quoque sunt* PERSONÆ *divinæ.* Minor, quæ est πεπόμφθον, quod Tres sint in cœlo TESTES propriè dicti, hoc hypothetico probatur: *Si Pater & Filius sunt testes propriè dicti, & duæ distinctæ personæ, etiam Spiritus Sanctus hoc versu erit testis propriè dictus, & distincta persona:* Sed prius Joh. 5. v. 32. c. 8. v. 16. est. Ergò & posterius. Consequentia in illâ certissimâ fundatur regulâ, *quòd una & eadem vox in unâ & eâdem sententiâ non possit habere duplicem significationem, propriam & figuratam*, quam contra nos etiam urget Eniedinus, detorsione loci Psal. 33. v. 6. *Ergò* TRES *sunt* PERSONÆ *divinæ, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Excipiunt Photiniani, *statui etiam Tres in Terra testes, qui tamen non distinguantur personaliter.* Verùm elenchum Comparatorum committunt: Testibus enim in Terra, hoc *testimonium* tribuitur *non propriè*, sed *figuratè* κ) τῷ προσωποποιΐαν: quòd autem *figuratè* tribuatur, ipsi Photiniani concedunt. Catechismus enim Racovienſis, pag. 125. per *Spiritum*, notari censet MIRACULA *Christi*, per *aquam, vitæ innocentiam*, per SANGUINEM verò *mortem.* Quod autem hæ TRES personæ, sint DEUS UNUS *essentiâ*, ex hoc ipso versiculo probatur. ET HI TRES UNUM SUNT; & v. 9. seq. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium* DEI *maius est.* Argumentor: *Illi, qui hoc modo unum sunt, ut sint* VERUS DEUS, *illi sint unum essentiâ.* Maiorem hanc probant omnia dicta, quæ unum DEUM esse testantur, ut supra notavimus. AT *Pater, verbum & Spiritus Sanctus, hoc modo* SUNT UNUM, *ut sint* VERUS

DEUS

DEVS, uti vers. 7. & 9. liquet: ET HI TRES UNUM *sunt; si testimonium hominum accipimus, testimonium* DEI *maius est.* Ergò *Pater, Verbum & Spiritus Sanctus sunt* UNVM *essentiâ.* II. Ex concessione Adversariorum, *Tres hos in cœlo Testes esse* UNVM CONSENSV, ita concludimus: *Quicunque Testes naturâ divini sunt* UNVM *consensu, illi sunt etiam* UNUM VOLVNTATE. AT *Pater, Verbum & Spiritus Sanctus naturâ divini sunt unum consensu, ex concessione* Photinianorum: *Qui* UNVM VOLVNTATE, (in divinis) *illi etiam* UNVM *essentia: Voluntas* enim & *essentia* in Deitate non differunt *realiter*, sed simplicissimè sunt αὐτὸ. AT *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus sunt* UNVM *voluntate.* Ergò *etiam* SUNT UNUM *essentiâ numero.*

Contrà Socinus, Enjedinus, & Goslavus, urgent I. v. 8. 1. Joh. 5. in quo etiam de *Spiritu, aqua, & sanguine* dicatur, *quod sint Vnum non essentiâ, sed testificatione.* Syllogismus sit talis: *Quæ unitas testium in terrâ, eadem etiam unitas testium in cœlo. Sed unitas testium in terrâ est unitas Consensus. Ergò.* Resp. ad Maiorem I. negando consequentiam. quia de *Testibus in terrâ* dicitur, quod IN UNUM sint, non autem, quòd UNUM sint, ut de Testibus in cœlo dicitur: cui ῥητῷ S.S. meritò inhæremus. Urget quidem Socinus cum Moscorovio, *editionem Complutensem, in quâ etiam de Testibus in cœlo dicatur*, IN UNVM. Verùm unius codicis auctoritas non tollit fidem codicum correctiorum, antiquiorum, probatiorum. 2. Argumentari à testibus in terra ad testes in cœlo, nulla consequentia, quia Johannes hos ipsos versiculis distinguit, de illis agit v. 8. de his verò versu 7. 3. Repetimus prius allatum argumentum à Consensu. *Quicunque in divinis unum sunt consensu, unum quoque sunt voluntate & essentia: Atqui Pater, Verbum, & Spiritus unum sunt consensu; Ergò unum quoque sunt voluntate & essentia.*

II. Advocant locum Johan. 17. 11. in quo Christus orat: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut* NOS, in Catechis. pag. 121. sic argumentantur: *Quâ ratione credentes sunt unum, eadem ratione Pater quoque & Filius sunt unum:* AT *credentes tantùm sunt* UNUM *consensu & affectu*, Act. 4. v. 32. Rom. 12. v. 16. Ergò. Resp. ad Maiorem, si *exclusivè* loquatur, nullam esse consequentiam: *καθὼς* enim non designat *omnimodam æqualitatem*, sed qualemcunque *similitudinem unitatis illius, quâ credentes sunt* UNUM, *cum unitate, quâ Pater & Filius unum sunt*, vel, ut Athanasius loquitur, *κ τὴν ἀναλογίαν & τυπον intelligendus est hic locus, non, quod* ITA UNUM *esse possimus, sicut Pater & Filius unum sunt, sed quatenus fieri potest, pro nostrâ naturâ.* Ex hoc ergo dicto *unitas voluntatis* in Patre & filio rectè concluditur, sed *essentiæ unitas*, (alibi clarissimis demonstratis dictis) non excluditur. Comparatio proinde extra *scopum* & *analogiam fidei* non extendatur, sed argumentum ita potius formetur: *Credentes debent esse unum consensu, affectu & voluntate,* SICVT *Pater & filius unum:* Ergo *Pater & filius sunt unum consensu, affectu & voluntate*; quæ sanè conclusio legitima: sed quæ sequela? *Pater & filius sunt unum consensu, affectu & voluntate; Ergò Pater & filius non sunt unum essentiâ*; Nulla! ergò quòd *unitas consensus, affectus & voluntatis, unitatem essentiæ* præsupponat. Negotium ex alijs scripturæ locis declarabimus: Levit. 11. 44. mandat Deus, ut *simus sancti,* SICVT *ipse sanctus*; Matth. 5. 49. *perfecti* SICVT *ipse perfectus*; Luc. 6. 36. *misericordes,* SICVT *ipse misericors* At nulla sequela: *Quâ ratione nos sumus sancti, perfecti, misericordes, eadem etiam ratione Pater: At nos non essentialiter, sed* ACCIDENTALITER *saltem sumus sancti, perfecti, misericordes; Ergo & Deus Pater non essentialiter, sed accidentaliter saltem est sanctus, perfectus, misericors*; Conclusio ipsis etiam Photinianis

nianis absurda est; alterutra E. præmissarum falsa erit; non minor; Ergo maior, ex illimitato seu indeterminato SICUT. Prout ergo *sanctitas, perfectio*, & *misericordia*, non ad indigitandam *naturæ unitatem*, sed eo fine proponitur, ut sanctitas, perfectio & misericordia nostra non sit *fucata*, sed *sincera*, ita *unitas consensus, affectus & voluntatis* à Christo adducitur, non ad innuendam *naturæ unitatem*, sed ad *excludendam bilinguem & hypocriticam impietatem*.

III. Gaudent loco 1. Cor. 3. v. 8. *Qui plantat & qui rigat, unum sunt*. Respond. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 2. *Hoc Ariani, si saperent, non objicerent. Quomodo enim negare conantur, quod Pater & filius unum sunt, cum Paulus & Apollo naturâ unum sint, & fide? sed tamen per omnia* UNUM *esse non possunt, quia non comparari* HUMANA *divinis*; elenchus ergo comparatorum: quod enim Apollo & Paulus non etiam *numericâ essentiâ* unum sunt: in causa est, quod *finitam essentiam* habent, quæ finitudo ab infinito DEO cujus essentia simpliciter infinita, infinitè abest.

Et hæc de primo dicto Johannitico, cujus fundamentale medium repetimus, ne propter latiorem deductionem ex oculis amittatur. QUOT *sunt testes* PROPRIE *dicti*, TOT *etiam* PERSONÆ. AT TRES *sunt* TESTES *propriè dicti in cælo*, PATER, VERBUM, & SPIRITUS SANCTUS. *Ergo etiam* TRES *sunt* PERSONÆ. Ulterius. *Quæcunque Tres personæ* UNUM SUNT, & *quidem ita, ut sint* UNUS *ille* VERUS DEUS, *illæ unum sunt essentiâ*. Ratio, quia tantùm *unus est* DEUS *essentiâ*, &c. AT *Pater, Verbum*, & *Spiritus Sanctus* UNUM SUNT, & *quidem ita, ut sint unus ille Verus* DEUS, vers. 7. & 9. Ergo. *Pater, Verbum*, & *Spiritus Sanctus sunt* UNUM *essentiâ*. quod probandum.

II. Dictum pro adorandâ Trinitate sumitur ex postremâ concione Christi ad discipulos habitâ, Johan. 14.

v. 16.

v. 16. & 17. Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα, καὶ ἄλλον Παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας EGO *rogabo* (inquit Christus Filius) PATREM, & ALIUM CONSOLATOREM *dabit vobis, ut maneat vobiscum in aternum*, SPIRITVM *veritatis*. & vers. 26. Ὁ Παράκλητος τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ Πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα. *Paracletus ille, qui est* SPIRITUS SANCTUS, *quem mittet* PATER, *in nomine* MEO, *ille vos docebit omnia*, & *suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis*. c. 15. v. 26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. *Cùm venerit* PARACLETUS, *quem* EGO *mittam vobis à* PATRE, SPIRITUS VERITATIS, *qui à Patre* PROCEDIT, ILLE *testimonium perhibebit de* ME. cap. 16. v. 8. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως. περὶ ἁμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. περὶ δικαιοσύνης δὲ, ὅτι πρὸς τὸν Πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκέτι θεωρεῖτέ με. *Et cùm venerit* ILLE (Consolator) *arguet mundum de peccato, & de justitiâ, & de judicio*. v. 9. *de peccato quidem, quia non credunt in* ME. vers. 10. *de justitia verò, quia ad* PATREM *meum vado, & posthac non videtis* ME. v. 13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *cùm venerit ille, qui est* SPIRITUS *Veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ futura sunt, annunciabit vobis*. Arg. *Ubicunque est Pater, & Filius à Patre distinctus, &* ALIUS *Consolator, qui à Patre procedit, quem Filius mittit, qui de Filio testatur, qui futura annunciat: ibi dantur tres distincta personæ. Sed in Trinitate datur Pater, & Filius à Patre distinctus, &* ALIUS *Consolator, vel alius Spiritus Sanctus, qui à Patre procedit, quem Filius mittit, qui de Filio testatur, qui futura annunciat,*

tist, &c. Ergò in adoranda Trinitate dantur tres distincta personæ. Minor ex dictâ valedictoriâ oratione Christi rutilat. 1. Patrem & 2. Filium distinctas esse personas Photiniani concedunt, etiamsi non concedant, esse *eiusdem essentiæ*, quod paulò post dabitur. *Spiritum Sanctum* autem *personam* esse negant: illum verò *personam* esse, ut in Minore dicitur ex d. l. quàm-maximè planum est. Nam *Quicunque est* ALIVS *à Patre & Filio Consolator*; 2. *à Patre & Filio procedit*; 3. *in tempore à Patre & Filio mittitur*; 4. *testimonium perhibebit de Christo*; 5. *futura annunciat, &c. ille est distincta à Patre & Filio persona.* Maior probatur, quia 1. τὸ ALIUS propriè *personam* denotat, quemadmodum etiam τὸ *testimonium* perhibere, ut docet Christus, Joh. 5. v. 32. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum:* ALIUS *est, qui testimonium perhibet de* ME, *& scio verum esse testimonium ejus, quod testatur de* ME. Quemadmodum ergò *Pater* dicitur *Alius testis*, quia est à *Filio* VERE *distincta persona:* ita etiam *Spiritus Sanctus* est ALIVS *testis*, quia est à *Patre & Filio distincta persona.* Absque diversificationis enim notâ hęc à Spiritu Sancto proponuntur. 2. *procedere*; 3. *mitti*; 4. *testimonium perhibere*; 5. *annunciare futura*, etiam propriè *personæ* competunt, & nullibi in Sacrâ Scripturâ de *bonitate* & *justitia Dei* similiter scribitur. Iunctis ergò membris Major procedit. *At Spiritus Sanctus est* ALIUS *à Patre & Filio Consolator*; 2. *à Patre procedit*; 3. *in tempore à Patre & Filio mittitur*; 4. *testimonium perhibet de Christo*; 5. *annunciat futura, &c.* uti ex allegatis dictis patet; *Ergo Spiritus Sanctus est distincta à Patre & Filio persona.* Valentinus Smalcius contra Grawerum de Spiritu Sancto, pag. 16. ad primum quidem membrum regerit: *Vocem* ALIVS *non ad denotandum personam, sed* ALIUD QUID, *quod Apostolis loco Christi ad futurum erat, esse additum, quâ licet figuratâ locutione, multò rectiùs &*

elegantiùs, quod res est, exprimatur, quo loquendi modo posset Pater à Filijs suis, res suas parum curantibus, discessurus, illis dicere, fore, ut nisi res suas curent, ALIUS *Magister veniat, Paupertas scilicet, eos doctura, quomodo se gerere debeant, &c.* Verùm gratis hæc dicit Smalcius. Non enim *prætor* est, qui vocem aliquam modò *propriâ*, modò *alienâ & figuratâ significatione* donare possit, & maximè in *Republicâ alienâ.* Monstret ergò vestigia, quòd à *literali sensu* discedere debeamus, in ipso contextu, vel *ἀναλογία* Fdei. At nulla sunt, nisi præconcepta Opinio, quòd in unâ indivisâ Essentiâ Deitatis non possint esse *plures personæ.* Sed hæc nondum est adæquata causa. Nos 1. sequimur regulam Interpretationis: *Quòd à literali sensu non discedendum sit, nisi Spiritus Sanctus de discessu moneat.* At hoc loco de discessu non monet. Ergò. 2. Ex abundanti addimus *processionem, missionem, testationem, annunciationem futurorum*, & generis ἑτέρωσιν, quâ *personalitas* significatur, Gen. 3. v. 15. Gal. 3. 16. Matth. 28. 19. Eph. 1. v. 13. 14. *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ἐκεῖνο μαρτυρήσει, Flamen veritatis,* ILLE *testimonium perhibebit*; & totam harmoniam, cap. 14. 15. 16. probet autem Photinianus uno & unico apiculo Scripturæ, quod de *justitiâ, dilectione, gratiâ, & alijs divinis proprietatibus, & attributis Dei* dicatur, quòd sint *alius, qui testimonium perhibeat, &c.* Quia enim statuunt, *Spiritum Sanctum hâc ratione* DEUM *esse, quemadmodum omne, quod in* DEO *est, communiter pro* DEO *reputatur* (Ostorod. Disp. Germ. Tradelio oppositâ part. 2. c. 12. p. 200. 201. *non negamus, quoniam Spiritus Sanctus de Dei naturâ est, sequi, quòd* DEUS *sit, nempe hoc sensu, quo etiam de justitiâ dici possit, quòd sit* DEUS, *& sicuti est communis sententia; Omne, quod in Deo est, Deus est, intelligenda est*; quem sequitur Valentinus Smalcius Ref. Disp. de Spiritu Sancto, pag. 6. Racoviæ ∞ Ɔɔc xiii.) probare debent ex Linguâ S. S. quòd unquam

quam de *proprietate essentiali* dicatur, ALIVS *à Patre, & Filio:* quod cùm non possunt, *proprietas* enim Dei non est *alius*, & quidem ALIUS à *Patre* CONSOLATOR, firmissimum est nostrum fundamentum. *Quicunque est* ALIUS *à Patre & Filio Consolator, ille est distincta persona à Patre & Filio. At Spiritus Sanctus est Alius à Patre* & *Filio*; *Ergò.* Quodautem interdum vulgariter dicatur, de *paupertate*, &c. **Es würde ein ANDERER über euch kommen/** &c. non commodum est Photinianis. Probare enim tenentur, quòd *hoc loquendi modo Scriptura utatur*, & quidem non *illimitatè*, sed *maximè limitatè*, de *proprietatibus & adjunctis Dei, justitiâ, misericordiâ*, &c. quod impossibile est.

II. Ad reliqua membra, communiter Photiniani objiciunt, *etiam alijs rebus impropriè & metaphoricè operationes tribui*, ut Jud. 9. Job. 32. Ps. 84. Rom. 3. & 7. 1. Cor. 13. Gal. 3. Resp. concedendo, sed addendo, in illis locis, vel ex alijs illicet apparere, hæc *metaphoricè* dicta esse, ut Jud. 9. est *consultatio inter arbores, oleas, ficus*, &c. Sed quia hæc omnia & *loquelâ* & *personâ* destitui notorium est, idcircò *προσωποποιία* locum habeat, necessum est. Job. 32. v. 7. *Sperabam, quòd ætas prolixior loqueretur*, & c. id est, homo multorum annorum. Ps. 84. v. 11. *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi*; pro hominibus Veritatem & Misericordiam amantibus. Rom. 3. v. 19. *scimus, quoniam quæcunque Lex loquitur, ijs loquitur, qui in Lege sunt*, DEVS *per Legem*. Rom. 7. v. 11. *peccatum occasione acceptâ seduxit me:* id est, homo præditus grandibus concupiscentiæ peccatis. 1. Cor. 13. v. 1. 2. inspiciatur contextus & idem est. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, CHARITATEM *autem non* HABEAM, *factus sum æs sonans.* Sequitur, CHARITAS (i. e. ex primo membro, charitatem habens) *est patiens*, &c. *Charitas* (i. e. charitatem habens) *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,*

tur, &c. Gal. 3. v. 8. similem poscit expositionem. Conjungitur enim *præviſio* & *Evangelizatio*. Ergò cujus est *Evangelizatio*, ejusdem etiam *præviſio*. At *Evangelizatio* non est facta, nisi ab *ipso* DEO ad Abrahamum, Gen. 12. Ergò *eiusdem præviſio*. Tribuitur autem Scripturæ, quia utrumque in Script. primi libri Mosaici comprehensum est. Eadem est ratio Gen. 4. vers. 10. *Sanguis Abel ad cœlum clamat*, Psalm. 23. v. 4. Joh. 3. 8. Rom. 11. 3. Gal. 3. 22. c. 4. 30. 1. Joh. 2. 27. 1. Joh. 5. 8. &c. Sed quæ sequela: Ergò *eodem modo de Spiritu Sancto res comparata est*. Nullum enim est vestigium in toto contextu, cur *idem de Spiritu Sancto* dicamus; nullum in alijs locis. Vniformiter enim hæc tribuuntur IPSI per Sacram Scripturam. E. *Spiritus Sanctus est persona*.

Quòd autem hæ *tres personæ* sunt VNUS *ille verus* DEUS, ex hoc ipso loco patet. De *Patre* extra controversiam est. De *Filio* probatur, Ipsum esse *naturalem* DEUM, duobus Syllogismis: 1. ex contextu: *Quicunque mittit Spiritum Sanctum, ille jus mittendi Spiritum Sanctum habet. Sed Christus mittit Spiritum Sanctum. Ergò.* Vlterius: *Quicunque jus mittendi Spiritum Sanctum habet, ille per omnia æqualis est DEO Patri.* Siquidem *minor* non habet *potestatem mittendi maiorem. At Christus habet jus mittendi Spiritum Sanctum.* Ergò. *Quicunque per omnia æqualis est DEO Patri, ille etiam est eiusdem essentiæ*, & hoc modo *essentialis DEVS*. Patet hæc Maior ex Joh. 5. *At Christus per omnia æqualis est DEO Patri. Ergò.* 2. *Si Spiritus Sanctus nihil aliud est, quàm virtus & efficacia DEI Patris, & de ipsâ essentiâ Patris, ut adversarij concedunt; & Spiritus Sanctus etiam Christi Spiritus dicitur*: sequitur necessariò, *quòd etiam virtus & efficacia Patris, sit virtus & efficacia Christi*; & per consequens, *etiam essentia Dei Patris, sit essentia Filij*, siquidem proprietas Dei essentialis est ipsa Essen-

Essentia Dei. Syllogismus sit: *Cui tribuitur Spiritus Sanctus, eidem tribuitur virtus & efficacia Dei Patris.* Spiritus Sanctus enim Photinianis nihil aliud est. *Atqui Christo tribuitur Spiritus Sanctus. Ergò & virtus & efficacia Dei Patris.* Porrò: *Cui tribuitur virtus & efficacia Dei Patris immediatè, eidem etiam essentia Dei Patris.* Eadem enim sunt simplicissimè. *Atqui Christo tribuitur virtus & efficacia Dei Patris immediatè. Ergò eidem Essentia Dei Patris.* Porrò: *Cui tribuitur essentia Dei Patris, ille etiam est unus & idem Deus cum Deo Patre. At Christo tribuitur Essentia Dei Patris. Ergò est unus & idem Deus cum Deo Patre.*

Excipit Valent. Smalcius Ref. Disp. de Sp. Sancto Racoviæ ∞ IↃC XIII. p. 14. & 15. multa, sed omnia solvuntur Johan. 16. v. 15. πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστι. Διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *Omnia quæcunque Pater habet,* MEA sunt.

De Spiritu Sancto, Photiniani exsertè dicunt, *Ipsum in Ipso Deo naturaliter esse, in* QUO NIHIL CREATI *esse possit.* Socinus in Refut. arg. Bell. & Wieki c. 10. p. 499. Ostorod. in institut. germ. c. 4. p. 32. Catechismus Racovienſis Maior p. 249. Minor. p. 57. Franciscus Davidis in Colloquio Transsylvanico: Et Valentinus Smalcius, os hodiernorum Photinianorum, clarissimè scribit Ref. Disp. de Sp. Sancto Racoviæ ∞ IↃC XIII. pag. 6. *Si constet Spiritum Sanctum esse personam,* IAM NECESSARIO *etiam constaret, eum esse* DEVM, *at non contra:* Ergò probatâ invictè *personalitate,* necessario etiam probavimus *Spiritum Sanctum esse summum illum Deum creatorem cæli & terræ.* Verba enim Smalciana liquidissima sunt. Verùm quia alijs alij Photiniani videntur vertumnos & proteos agere, ex abundanti Deitatem ipsius hoc loco etiam probamus: *Qui à Patre procedit, ille est æternus ille Deus.* Procedere enim est esse ex Deo,

1. Cor. 2. & communicatam habere essentiam divinam per ἐκπόρευσιν. *At Spiritus Sanctus à Patre procedit. E. Spiritus Sanctus est æternus ille Deus.*

Excipit Socinus in explicat: Locorum de Spiritu Sancto p. 113. *Naturaliter persona à personâ perpetuò aut indesinenter, aut etiam sæpè & subinde procedere seu emanare non potest.* Smalc. Refut. Disp. de Spirit. Sancto p. 17. Resp. Limitando maiorem: *persona creata* à personâ perpetuò aut indesinenter, aut etiam sæpe & subinde procedere seu emanare non potest: Atqui Spiritus Sanctus est *persona creata.* Verum minorem hanc negamus, negant & Ipsi. Ergò *Spiritus Sanctus est Deus ille creator cæli & terræ.* Cùm ergò *Pater* sit *verus Deus*; *Filius, verus ab æterno Deus*; *Spiritus Sanctus verus Deus*, & *distincta persona à Patre & Filio*; & tamen non nisi *unus Deus*, necessariò sequitur, ITA esse VNUM, ut tamen sint *tres distinctæ personæ*, non autem *tres distincti Dij* (nam numero *unum* esse Deum & *tres numero distinctos esse Deos* manifestam implicat contradictionem.) Quia ergo *tres Dij* esse nequeunt, & TAMEN *Pater est Deus, Filius est ab æterno Deus, Spiritus Sanctus est Deus*, non possunt esse *tres essentiæ Divinæ:* sed VNA duntaxat. Deus ergò essentiâ VNVS est; Quoniam verò *tres* sunt; quorum *quilibet est ab æterno Deus:* DEUS PERSONIS TRINUS erit; quod credendum. Vnicum hoc loco observare licet, cur Georgius Enjedinus, in explicatione Locorum V. & N. T. ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet, *ne uno verbulo* hoc dictum attigerit; cùm alia minoris momenti nullus & nullus transilierit? Annon radios hujus solis perstringentissimos sustinere nescivit? certè mirum est!

III. Matth. 28. 16. *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis* JESVS, v. 17. *& cùm vidissent illum, adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt.*

v. 18.

v. 18. *& accedens* JESVS *locutus est eis, dicens: data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ:* v. 19. *euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,* v. 20. *docentes eos servare omnia, quæcunque præcepi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnes dies, usque ad consummationem seculi.*

Antequam autem argumentemur, prius præsupponimus: I. sive in accusativo, sive in ablativo legatur, IN NOMEN vel IN NOMINE, perinde est. Quia pro uno & eodem accipiuntur in N. T. εἰς τὸ ὄνομα, καὶ ἐν τῷ ὀνόματι, καὶ διὰ τοῦ ὀνόματος, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι, καὶ τῷ ὀνόματι sine præpositione. Matth. 7. v. 22. Marc. 9. v. 38. 39. Luc. 9. 49. c. 10. v. 17. Act. 4. v. 17. & 30. c. 16. v. 17. Act. 9. v. 27. 29. Act. 10. 48. Act. 19. v. 5. 2. Græca φέρεσις εἰς ὄνομα, si latinè vertenda est, *in nomine* vertenda est; Latini enim non solent dicere, *in nomen alicuius facere*, sed *in nomine*. Smiglecius. II. Hoc loco de *Baptismo* AQVÆ agi. 1. Quia à *litera* non discedendum, nisi Spiritus Sanctus de discessu moneat; Et nulla est consequentia: In alijs locis hæc vox *tropicè* sumitur. Ergò etiam hoc loco. 2. Summa ἀδολεσχία esset in his verbis, v. 19. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes*, id est, *docentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, v. 20. *docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* 3. Nullibi, *baptizare* εἰς τὸ ὄνομα *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* est *idem*, quod *informare*. 4. *Quod Apostoli post adscensionem fecerunt, hoc à Christo sunt iussi. At* AQVA *baptizârunt*, ut Act. 8. v. 36. dicit Philippus: ECCE AQVA, *quid vetat me baptizari.* & v. 38. *& iussit sisti currum, & descenderunt* AMBO *in* AQVAM, *Philippus simul & Eunuchus*, & BAPTIZAVIT EVM, v. 39. *Cùm autem* ADSCENDISSENT *ex* AQVA, *&c.* Actor. 10. v. 47. *Num quis prohibere potest* AQVAM, *quò minus baptizentur isti. Ergò hoc à Christo iussi sunt Apostoli quod hoc capite factum esse, quivis videt.*

Exci-

Excipiunt quidem contra, sed inaniter. I. Ostorodus excipit, *non agi de ὑδατοβαπτισμῷ*, ex Actor. 18. v. 25. *Vbi Baptisma Iohannis interpretatur pro Doctrina Iohannis.* Resp. I. Si minor esset, quæ, quæso, esset consequentia? II. Negatur Minor. Nam Baptisma Johannis significat TOTVM *Ministerium Iohannis*, constans *concionibus*, & præsertim ADMINISTRATIONIBVS *ablutionis*, ex Matth. 3. Marc. 1. 4. 5. Luc. 3. v. 3. & 16. Ibi enim dicitur, quòd Johannes Baptista *prædicaverit in deserto, & ad eum exiverit* TOTA *Regio*, & BAPTIZÂRIT *in Iordane confitentes peccata sua.* Et è vestigio subijcitur: *Quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ? facite ergo fructum dignum pœnitentiâ. Ego quidem vos baptizo* AQVA *in resipiscentiam &c.* Ecce Bapt. I. est Bapt. AQVÆ in resipiscentiam prædicatus & administratus. Et clarius Luc. 7. v. 29. 30. *Pharisæi dicuntur reiecisse consilium Dei adversus semetipsos, non* BAPTIZATI *à Iohanne*, utique *aquis* ad Jordanem fluvium. Ergò Ostorodus peccat fallac. Divisionis. Actor. autem 18. tantùm dicitur, quod Apollos propter intervalla inter Hierosolimam & Ephesi viciniam, quâ TUNC peregrinatus, nondum audiverit CHRISTVM exaltatum *dona miraculosa* distribuere Apostolis in Ecclesiæ emolumentum & argumentum, ex seq. cap. 19. sed tantùm *Baptisma Iohannis* sciverit. Quid autem hæc contra *Baptismum* AQVÆ? II. Excipit Ostorodus; *non agi de ὑδατοβαπτισμῷ, quia Apostoli nunquam ita baptizârint in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Resp. 1. sufficit hoc *expressum mandatum*, cui contraiviisse Apostolos quis cogitat? 2. Et aliorum mandatorum completorum in singulis & singulis momentis non semper prostant *exempla* in Sacris literis, & tamen de *completione* propter fidelitatem ministrorum nullus Christianus dubitare potest. 3. Quod in Actis Apostolorum c. 2. 8, 10. 19. dicuntur *baptizâsse in nomine*

mine Domini JESV *Christi*, illud 1. aut *historica brevitatis compendiosam narrationem sapit*; aut 2. *autorem* Baptismi exprimit; per CHRISTVM enim DEVS hunc ritum *ordinavit*, & *commendavit* Apostolis; aut 3. *confessionem baptizandorum respicit*; quia enim Judæi JESVM pro *Messiâ* agnoscere noluerunt, iccircò, qui tandem conversi *Christum Messiam* agnovêre; illi dicti sunt *baptizari in nomine Domini* JESV *Christi*, *invocato nomine Domini* JESV, *quem antea cognoscere detrectârunt*, *& persequuti sunt*, ut Paulus Act. 26. vers. 9. Probatur: Postquam enim Petrus Act. 2. integram habuit concionem de *Messiâ*, quod illum hactenus *contempserint*, & tandem persuadet, ut credant, *Iesum esse Messiam*; & quærunt, *quid facere debeant*; respondet Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* JESV *Christi* (nimirum hactenus *reprobati*, sed jam à vobis *agniti*) similiter Act. 8. vers. 12. 16. cap. 10. vers. 48. cap. 19. v. 4. & omnium maximè cap. 22. vers. 16. ubi Paulum Ananias monet: *Exsurge*, *baptizare*, *ablue peccata tua*, INVOCATO *nomine* DOMINI, Domini illius scilicet, qui Saulo quærenti, *Quis es* DOMINE, è cœlo dixit: *Ego sum* JESVS. Ergò in nomine Christi dicuntur baptizâsse, qui in *nomine Patris*, *& Filij*, *& Spiritus S.* baptizârunt, propterea, quia modo conversi ad Christum, & per Baptismum huic inserendi *singulariter nomen Domini invocare*, sunt soliti, ex dictis.

Sed pergit Hieronymus Moscorovius, Minister Arianus Racoviæ ex Act. 19. vers. 2. Οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν: concludendo, *Si baptizati essent in nomine Patris*, *& Filij*, *& Spiritus Sancti, utique audivissent, quod Spiritus Sanctus esset. Sed posterius absurdum.* E. Resp. est elenchus æquivocationis in vocabulo *Spiritus Sanctus*: hoc loco enim sumitur pro *donis miraculosis*, hoc modo commen-

tante vers. 6. *Et imponente Paulo manus venit Spiritus Sanctus super eos, &* LOCVTI *sunt* LINGVIS, *&* PROPHETARVNT. En *Effecta miraculosa!*

III. Vrget Ostorodus illud 1. Cor. 1. vers. 17. *Non misit me Christus ad* BAPTIZANDVM. Sed Respond. 1. hoc *comparatè* intelligendum esse, ex antecedente. v. 14. patet. *Gratias ago* DEO, *quòd neminem vestrûm baptizârim, nisi* CRISPVM *&* GAIVM, *ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizaverim. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterùm nescio, si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare.* 2. Etsi Apostoli ipsi *non semper* baptizâssent, ex hoc tamen malè concluderetur, *partes baptizandi ipsis non fuisse commendatas.* Hos enim *minores labores* per alias subordinatas personas efficere, quid prohibuisset? Quemadmodum Petrus Act. 10. vers. 48. προσέταξε *iussit baptizari Cornelium, & familiam Cornelij;* & tamen Petrus ex Christo audivit hæc verba Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* contra hanc secundam Responsionem excipit idem Ostorod. in seiner Vnderrichtung/ pag. 353. Es thut nichts zur Sachen/ so jemand sagen wolt/ daß/ ob wol Paulus selber nicht alle getaufft/ so hab ers doch andern befohlen/ in seinem Namen zuverrichten: sintemahl/ wenn einer durch einen andern etwas thut/ es eben so viel ist/ als wenn ers selber thut. Derhalben ob er woll selber daßselbe wahrhafftig nit gethan/ hette derhalben Paulus nicht sagen können (welches er doch außtrucklich sagt.) daß er nur allein etliche wenig/ vnd also nicht alle getaufft hab. Respond. verò, Tritum hoc. *Quod quis facit per alium*, per *semetipsum* fecisse intelligitur, hoc loco non quadrare. Ratio in ipso contextu est, quia Corinthij *ut serunt individua ipsa*, à *quibus baptizati sunt*, & ab his aliquid *maioris Christianitatis* sperâ-

runt.

runt. Ita enim vers. 12. *Vnusquisque* vestrûm dicit: *ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi*, vers. 13. *Num in nomine Pauli baptizati estis?* vers. 14. *Gratias ago, quòd (ipse in individuo) neminem vestrûm baptizaverim, nisi Crispum & Gajum*, vers. 15. *Ne quis dicat, quod in* MEO NOMINE *baptizaverim, &c.* Vbi videmus, ab *ipsis individuis* Corinthios sibi aliquid *tacitè* pollicitos fuisse. Sed instat Smalcius: *Vnde sciverit Paulus, Baptismum pertinere ad munus Apostolicum?* Resp. Qui Paulo, 1. Cor. 11. *institutionem Cœnæ* revelavit, illeetiam citra dubium omne, *Baptismum* cum *toto Evangelio*, eidem revelavit.

IV. Marcum cap. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*: de *Baptismo* AQUÆ loqui Ostorodus negat. Ratio; *Quia nulla fiat mentio* AQUÆ. Sed Resp. ponderetur 1. Verbum baptizari, & 2. conferatur, *Epilogus Matthæi & Marci*, & vanitas hæc omnibus patebit manifestissimè. Vltimò omnes Photiniani excipiunt; *non intelligi Baptismum* AQUÆ, *quia res corporalis non possit producere effectum spiritualem.* Resp. committunt elenchum divisionis, & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim *simpliciter aqua*, sed *aqua à* DEO *ordinata*, ut sit instrumentum δοτικὸν & προσφερόμενον regenerationis in Baptismo intelligitur. Optimè Lutherus, ut *intelligatis nostram pietatem, de hâc objectione in Tractatu* von den *Concilijs* vnd Kirchen: pag 273. b. Edit. Jenens. Tom. VII. germ. Summa / wann dich Gott hiesse einen Strohalm auffheben / oder eine Feder reissen / mit solchem Gebott / Befehl / vnd Verheissung / das du dardurch solltest aller Sünde vergebung / seine Gnad vnd Ewiges Leben haben? Solltestu daß nit mit aller Frewden / vnd danckbarkeit annemen / lieben / loben / vnd darumb denselben Strohalm vnd Feder / höher Heilthumb halten / vnd dir lassen lieber sein / weder

Himmel vnd Erden ist. Dann wie geringe der Strohalm oder Feder ist/ dannoch kriegestu dardurch solch Gutt/ daß dir weder Himmel noch Erden/ ja alle Engel nit geben kön-den. Warumb sind wir dann so schändtlich Leut/ daß wir der Tauffwasser/ Brot/ vnd Wein/ das ist/ Christus Leib vnd Blut/ mündlich Wort/ eines Menschen Händ auffle-gen zur Vergebung/ nicht auch so hoch Heilthumb halten/ alls wir den Strohalm oder Feder halten würden/ so doch in denselben/ wie wir hören vnd wissen/ Gott will selber würcken/ vnd soll sein Wasser/ Wort/ Hand/ Brot vnd Wein sein/ dardurch er dich will heiligen vnd seeligen in Christo/ der vns solches erworben/ vnd den Heiligen Geist vom Vatter zum solchem Werck gegeben hatte. Quibus *assertivè* & *destructivè* enumeratis, patet, locum Matth. 28. de *Baptismô* Aquæ loqui, quod secundum præsup-positum.

III. Præmittitur Definitio *τοῦ Baptizari in Nomen vel nomine alicujus*, *per ἄρσιν*; non est baptizari in *tria Te-stimonia*, quòd Jesvs *sit Christus*, nimirum in *vocem Pa-tris*, quæ de cœlo sonuit, *Filius meus es* Tv, in *testimonium Filij*, qui de seipso dixit: *Ego sum Lux Mundi*; & in *miraculosa dona Spiritus Sancti*, quæ & Ipsa testantur, *Datorem illorum esse verum Messiam*. Hoc enim Eniedinus sine Sacris Tabu-lis dicit. Ergò gratis. Sed per *θέσιν*, *τὸ Baptizari in nomen Patris*, *Filij*, *& Spiritus S.* significat *baptizari & jussu & auto-rite*, in *fiduciam & auxilium Patris*, *Filij*, *& Spiritus S.* ut fir-missimè hæc Definitio asseritur locis, Act. 2. 38. cap. 3. 6. c. 4. 30. c. 19. v. 4. 5. 6.

IV. *Non in nomine* Alicuius *facere quidpiam di-cimur*, *nisi sit* Persona: nec ullus modus loquendi fert, ut in *nomine* Rerum, quæ *personæ non sunt*, *quidquam fa-cere dicamur*. Consulantur Pandectæ Sacrarum Litera-

rum,

rum, omniumque Linguarum: & firmissimum erit. Olfecit hoc Smalcius, dum scripsit Refut. θεσ. Frantzij: *Iure credi potest, propriè ista verba Patri & Filio competere, qui personæ sunt, impropriè autem Spiritui Sancto.* Et: *Christum fortasse numquam ita locuturum fuisse, si de solo Spiritu S. sermonem habuisset.* hæc Smalcius. O impietatem! Christum dicere in *nomine Spiritus S.* & hoc modo nos deludere, cùm *aliter locutus esset*, si de *Spiritu S. solo* locutus esset!

V. *Nihil in nomine alicujus fieri dicitur, nisi sit prima ejus rei causa.* Iccircò enim cùm *Minister* facit aliquid, ut *Minister*, non dicitur Svo *nomine* facere, sed Nomine *Domini*, quia *potestate* & *autoritate Domini* facit.

VI. Præmittitur, quod ex 3. 4. 5. colligitur: *Nullum Baptizari in Creaturam.* Nam I. in illo baptizamur, qui est *prima remissionis peccatorum causa*, eò quod baptismus fiat in *remissionem peccatorum*, Act. 2. 38. At nulla Creatura est prima *remissionis peccatorum* causa! Quis enim potest *peccata remittere*, nisi Deus? Marc. 2. 7. Ergò! II. Qui potest pro *nobis crucifigi*, in illo etiam *possumus baptizari*: patet ex conjunctione Pauli 1. Cor. 1. 13. *Numquid Paulus pro nobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* At nulla *creatura nuda* potest pro *nobis* crucifigi, Ps. 49. Ergò.

Vrgent quidem in genere Photiniani, Smalcius scil. Ostorodus, Eniedinus, Catechis. 1. *Cor.* 10. 2. *Omnes in Mosen baptizati sunt*: & *Act.* 19. *v.* 3. *Baptizati baptisma Iohannis. Rom.* 6. *Quotquot in Christo baptizantur, in mortem ipsius baptizantur.* At frustrà! Nam 1. Cor. 10. est *baptizatio* non *propria*; hæc enim in V. T. nondum *instituta* erat, sed *metaphorica*, ut ipse contextus docet, *Omnes in Mosen baptizati sunt, in nube & mari*: 2. non est baptizari *super mandatum & fiduciam Mosis*, sed בויר per *ministerium* & *manum Mosis*, ut Syrus interpres legit. 3. *Baptismus in Mosen*, nihil

aliud est ex Exodo, quàm ille *transitum per Mare, iussu* DEI, & *ministerio Mosis peractus*, & nunc ab Apostolo introductus, ut doceat, *nè quis propter titulum Ecclesiæ carnalem securitatem concipiat.* Sed quæ sequela; *Ductore Mose transiit Israël per mare rubrum: E. etiam aliquis potest baptizari in nudam Creaturam* 4. nonnulli *τὸ in Mosen baptizari*, è termino *relati* intelligunt. Sicut enim nos per Baptismum *in nomen Christi, obligamur ad fidem & ad confessionem nominis eius:* Ita Israëlitæ *miraculo & beneficio præeuntis nubis*, & *deductionis per mare* (quæ erat *typus* baptismi) obligati sunt, ut crederent *Mosi, cœlestem doctrinam & mandata Dei nomine, promulganti*, Exod. 14. vers. 31. Colligitur autem interpretatio, hæc 1. quia *nomen baptismi* non potest accipi in significatione ea, quæ N. T. est *propria*, eò quod *baptismus tum nondum fuerit institutus*, 2. quia non *simpliciter* dicit: *Israelitæ in Mosen baptizati sunt*, sed addit, *in nube & Mari.* 3. Si baptismus in significatione propria N. T. sumitur, ne quidem in *Pauli*, nedum *ullius alterius nomine* baptizari possumus, 1. Cor. 1. vers. 13. Act. 19. Baptisma Johannis dicitur, quòd 1. *jussu divino prædicavit*, & *inchoavit* Johannes, ut docet Matth. cap. 3. vers. 7. cap. 21. vers. 25. Luc. 7. vers. 29. 2. *Baptismo Iohannis baptizari*, idem est, ac *in Christum venturum baptizari*, uti vers. 4. exponitur: aliud proinde est in *nomen Ioannis baptizari*, & aliud *in baptismo Ioannis*, sive quod idem, *baptismo Ioannis baptizari*: prius scriptura *nullibi* asserit, sed simpliciter *contrarium*, 1. Cor. 1. vers. 13. Rom. 6. Non in *nomine mortis*, sed *in mortem* baptizari dicimur; hoc autem dicitur, quia DEUS *beneficia mortis Christi* per *baptismum aquæ* nobis *confert*, & *obsignat*, & nos *restipulamur fidem tantorum beneficiorum*, & *mortificationem peccati.* Lege totum caput.

VII. Non

VII. Non ita concludimus: *Tria conjunguntur; E. tres sunt Personæ unius Essentiæ.* Nam ipsi fatemur, 1. *quædam* DEO *conjungi, quæ non sunt personæ*, ut Act. 20. v. 32. *commendat Apostolus Seniores Ecclesiæ* DEO, *& sermoni gratiæ ejus.* Ephes. 3. vers. 10. *Optat Apostolus, ut pij corroborentur in Domino, & in Virtute potentiæ ejus.* Phil. 3. vers. 10. dicit. SE *omnia pro damno habere, ut cognoscat Christum, & virtutem resurrectionis ejus.* Sed Resp. 1. N. C. hoc loco conjunguntur RES, *personæ.* Ergò etiam in Baptismo. 2. Act. 20. *alligatos* vult Paulus Seniores *ad* DEVM, & ad *Evangelium*, quod est *sermo gratiæ*, ut ex textu patet; nam prædicit affuturos, qui *aliena sint deposituri*: sensus ergò est, *commendo vos* DEO, *& Evangelio, ut in hoc ambulare possitis.* Eph. 6. *Virtus potentiæ*, nihil aliud est, quàm ἐπέξηγησις illius, ut *confortentur in ipso Domino.* Idem in tertio loco.

II. fatemur etiam, *quasdam personas* DEO *conjungi, quæ non sunt* DEVS: ut Exod. 14. v. 31. *Credidit* DEO *& Mosi:* 1. Sam. 12. 18. *Timuit populus* DEUM *& Samuelem.* 1. Tim. 5. vers. 21. *Obtestor vos coram* DEO *& Angelis.* 1. Thess. 2. vers. 10. *Vos estis testis &* DEVS. Sed illa *opera*, in quibus DEVS *& homines conjunguntur*, sunt *communia* DEO *& hominibus*, licet *gradu inæquali:* Credimus DEO *& Mosi*, sed *illi* ut *principali*; *huic*, ut *instrumentali causæ.* Timuit populus DEUM (*magistrum*) & Samuelem (*ministrum*) Obtestor vos coram DEO & *Angelis*, qui etiam hæc *inspiciunt & vident.* Vos estis Testis, qui his etiam interestis, & DEVS. At *Baptizatio* non est *opus* ejusmodi *commune.* Ergò nulla est consequentia: Enumerata *conjuncta* non sunt *personæ æquales:* Ergò etiam in Baptismo personæ non sunt æquales. Nam in Baptismo *æquè* dicimur baptizari *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* & *tàm in nomine Spiritus S.* quàm *in nomine Patris & Filij.* His præmissis argumentamur:

tamur: *In cujus nomine baptizamur, ille eſt perſona*, ex prædictis. AT *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizamur*. Ergò *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt Tres Perſonæ*. Vlterius. *In cujus nomine baptizamur, ille eſt verus ille* DEVS *Creator cæli & Terræ*. Eſtenim Baptiſmus ἐπερώτημα bonæ conſcientiæ εἰς Θεὸν. 1. Pet. 3. *Atqui in nomine Trium perſonarum, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti baptizamur. Ergò Tres Perſonæ*, PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS *ſunt* VERVS ILLE DEVS, Creator cœli & Terræ, quod credendum.

Excipit Hieronymus Moſcorovius. 1. *Non poſſunt eſſe plures cauſſæ primæ ad unum effectum*. Reſp. VT VNVS DEVS, ITA VNA cauſſa eſt. 2. Etiam VNVS NVMERO EFFECTVS poteſt fluereà PLVRIBVS CAVSSIS TOTALIBVS, citra implicationem contradictionis, uti id prolixè probant Philoſophi, & clarè etiam propagatio animæ, quæà toto Patre, & tota matre transvehitur, loquitur.

II. *Etiam Evangelion eſt potentia* DEI *ad ſalutem omni credenti, Rom.* 1. *verſ.* 16. *Renaſcimur per* VERBVM DEI VIVI, 1. *Petr.* 1. *v.* 23. *Maxima nobis & pretioſa promiſſa donata ſunt, ut* PER HÆC *efficeremini divinæ conſortes Naturæ.* 2. *Petr.* 1. *v.* 4. Syllogiſmus eſt hic: *Si ſalus, renaſcentia, & conſortium divinæ naturæ, adſcribitur cauſſæ inſtrumentali, Verbo Evangelij:* etiam *Matth.* 28. *poterit locum habere.* Sed prius fit in adductis locis. Ergo. Reſp. ad maiorem, negando conſeq. propter manifeſtum elenchum cauſæ. Evangelion eſſe cauſſam horum effectuum ὁρατικὴν, nondum eſt cauſſa, quod idem de SS. credatur, Matth. 28. cùm ibi expreſsè non *miniſterialis*, ſed *magiſterialis* cauſa exprimatur. *Nam in* CVIVS NOMINE *aliquid fit, ille eſt prima illius cauſſa.* AT *in nomine Spiritûs Sancti,*

Baptiſmus

Baptiſmus; Ergò Spiritus Sanctus eſt prima Baptiſmi cauſſa. Si autem eſt prima ſeu principalis Baptiſmi cauſſa, ſequitur argumentum Moſcorovianum eſſe nullum, ſiquidem à Cauſſa inſtrumentali procedat.

Vindicato hoc loco de *Baptiſmo aquæ*, facilè intelligitur Θεοφανία, quæ facta eſt in Baptiſmo Chriſti. Deſcribitur autem à IV. Evangeliſtis. Matth. 3. v. 16. *Et baptizatus Ieſus adſcendit protinus ab* AQVA, *& ecce aperti ſunt illi cæli, & vidit* SPIRITVM *Dei deſcendentem* ὡσεὶ περιστερὰν, *& venientem ſuper ipſum.* verſ. 17. *& ecce Vox de Cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt,* cap. 4. v. 1. *Tunc Ieſus ſubductus fuit in deſertum à* SPIRITV. Marc. 1. v. 10. *Et ſtatim cum adſcenderet Ieſus ex aquâ, vidit diffindi Cælos, &* SPIRITVM ὡσεὶ περιστερὰν *deſcendentem ſuper illum.* verſ. 11. *Et Vox facta eſt è Cælis: Tu es ille* FILIVS MEVS *dilectus, in quo mihi benè complacui.* v. 12. *Et confeſtim* SPIRITVS *illum expulit in deſertum.* Luc. 3. v. 21. *Factum eſt, cum baptizaretur omnis populus, &* JESV *baptizato & orante, aperiri cœlum,* verſ. 22. *& deſcendere* SPIRITVM SANCTUM σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν, CORPORALI SPECIE *quaſi columbam in ipſum, & vocem de cælo fieri, dicentem:* Tu es FILIVS ILLE MEVS *dilectus, in* TE *mihi beneplacitum eſt.* Idem Johan. 1. v. 32. Qua Θεοφανία, ut Matth. 28. etiam, clariſſimè habemus TRES PERSONAS, PATREM DE CŒLO CLAMANTEM, 2. FILIVM *in Iordane ſtantem*, 3. SPIRITVM SANCTVM σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν *deſcendentem, & ſuper Chriſto manentem.* De perſonalitate Patris, & Filij conſtat: de Spiritu Sancto probatur ex ipsâ *apparitione*; *Apparere* enim, & ſub *aſpectabili ſigno* ſe *videndum* præbere & 2. *expellere Chriſtum in deſertum*, SUBSTANTIÆ eſt, non Accidentis, VEL VIRTVTIS: aut demonſtretur unicus apex ex ſacrâ

 ſcriptu-

scripturâ. Contra excipiunt Photiniani *disiunctim & coniunctim.* I. Disiunctim. 1. *Grammaticatur* Faustus Socinus in explicationibus Locorum de Spiritu Sancto, pag. 103. & describit Val. Smaltzius Ref. disp. de Spiritu Sancto, sed *nuda lectione* appositorum locorum parallel. ipsorum πρεσβλότης discutitur. 2. Excipit Gostavius 1. part. refut. Keckerm. pag. 80. *Non omne quod apparet; per se subsistens est, siquidem accidentia apparent, & per se non subsistunt.* Resp. Accidentia quidem *immediatè* apparent, sed hoc fieri non potest, nisi sint *in subiecto, per se subsistente*; Ipsa enim *sustentaculo* egent. II. Conjunctim excipit Gratianus Prosper libro, cujus hæc inscriptio, Instrumentum doctrinarum Aristotelicarum in usum Christianarum Scholarum exemplis Theologicis illustratum per Gratianum Prosperum Losci Anno 86. p. 73. Verba hæc sunt: *Pater clamat de cælo, Filium stans in Iordane, baptizatur à Iohanne & Spiritus Sanctus descendens in forma columbæ, quievit super illo. Ergò Deus est Trinus in personis, & unus in essentia.* Respondet: *est fallacia secundum non causam, ut causam. Antecedens enim prorsus nihil facit ad probandam conclusionem, & est simile huic, baculus stat in Angulo. Ergò Iulius vincet Pompejum. Non enim negamus horum Trium, videlicet Patris, Filij & Spiritus Sancti mentionem fieri in sacris literis. Ergò hi Tres unus Deus sunt in essentiâ, Trinus in Personis. Nonne Petrus, Iacobus & Ioannes* Tali *modo Trinitatem constituerent, utpote quorum non semel Scriptura mentionem facit.* Hæc Gratianus Prosper. Resp. Si tam sancti sunt Photiniani, quî quæso possunt tam frigidè argumentationem nostram proferre, & verum medium dissimulare? Ejusmodi Enthymema apud nostros non reperitur; Θεοφανίαν enim hanc ex *confirmatione Baptismi*, Matth. 28. iubemus æstimare, ut & ex contextu toto, quò facilores liquidissima est. Non vocem unam aut alteram

ram decerpimus, sed in Deo perlegimus omnia antecedentia & consequentia hujus Θεοφανίας, Totum 3. caput Matth. 1. Marc. 3. Luc. 1. Johan. & horum 4. ὁμοιογενῶν cap. lectione legitimè argumentamur. De *Quocunque propriè divina prædicantur, ille est unus essentiâ* Deus. At *de Tribus his personis*, Patre *clamante*, Filio *baptizato, & Spiritu Sancto descendente propriè divina prædicantur. Ergò* Hæ Tres Personæ, Pater, Filius *in Iordane*, & Spiritus Sanctus σωματικῷ εἴδει Descendens, *sunt* Unus *essentiâ Deus.* Minor probatur ex his contextibus. De Patre non est necesse: de Filio autem & Spiritu Sancto. De Filio. 1. *Quicunque est Iehovah*, 2. *Filius Dei dilectus, & unigenitus* 3. *sine quo nihil quidquam factum est, quod factum est*, 4. *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ille est essentiâ* Deus. *Atqui* Filius *stans in Iordane, &c.* Ergò. Maior est Exod. 3. v. 15. Esa. 44. v. 24. c. 45. v. 18. c. 59. v. 16. Minor verò in adductis locis. Nam *Filius* dicitur 1. *Iehovah*, dum Baptista dicit, Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 3. Luc. 3. v. 4. Johan. 1. vers. 23. *Parate viam Iehovah*, 2. *Filius Dei dilectus*, Matth. 3. v. 17. Marc. 1. v. 11. Luc. 3. v. 22. & *unigenitus in sinu Patris*, Johan. 1. v. 18. 3. *sine ipso nihil factum est, quod factum est*, Joh. 1. v. 3. 4. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joh. 1. v. 9. Ergo Filius, *stans in Iordane, est essentiâ* Deus. De Spiritu Sancto. Qui verè credunt ex Photinianis *probatâ personalitate Spiritus Sancti, etiam probatam esse ipsius Deitatem*, illi satisfactum modò est medio Termino *apparitionis*. Qui verò ludunt sub hoc tegmine, illis probamus facillimè 1. ex loco Matth. 28. *ubi in eâdem materiâ Baptismali opus merè & verè divinum tam adscribitur efficienter principaliter Spiritui Sancto, quàm* Patri & Filio. 2. ex hoc ipso loco, ubi Spiritui Sancto adscribitur *expulsio* Christi in desertum. Matth. 4. v. 1. Marc. 1. v. 12. Hanc

autem *potestatem* non haberet Spiritus Sanctus, nisi *Christo homine esset præstantior.* Si autem SPIRITVS Sanctus CHRISTO HOMINE est *præstantior*, & ipsi Photiniani fatentur, *Christum hominem nihil præter Deum Creatorem cæli & terræ antecellere*, ut fatetur Smalc. l. de divinit. Christi c.10. &c. sequitur, SPIRITUM SANCTVM *necessariò esse illum* DEVM *creatorem cæli & terræ*, quòd credendum. 2. Illudit Prosper Gratianus simili: *baculus stat in angulo*, &c. Omnia enim disparata sunt. Hæc non. 3. de Paulo, Jacobo, Johanne non dicitur, quod de Se & Patre Christus dicit: *Ego & Pater unum sumus*, Joh.10.v.30. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Joan.14.v.11. fallacia proinde comparatorum, atque consequenter stant nostri Syllogismi ex hoc loco Matth. c.3. deducti: &c. *Pater, Filius stans in Iordane, & Spiritus Sanctus corporali specie descendens, & apparens, sunt tres personæ.* Quod autem hæ *tres personæ* sunt *verus ille* DEVS *Creator cæli & terræ*, itidem indeliquet, *quia Filius est Iehovah, &c. & Spiritus Sanctus, potestatem habuit, Christum in desertum expellendi*, quod etiam non nisi *Iehovæ Creatori cæli & terræ competere potuit.* Christum enim hominem, *nemo antegreditur*, nisi *solus ille verus & æternus* DEVS, ex αὐτοθέσει Photinianorum. Ergò HÆ TRES PERSONÆ, PATER, FILIVS *in Iordane baptizatus, Spiritus Sanctus corporali specie* APPARENS, & *Christum in desertum expellens, sunt unus ille Deus summus!* QUOD CREDENDVM.

IV. Argumentum pro Trinitate sumitur ex loco Esaiæ 63. v. 7. 8. 9. 10. &c. ubi Ecclesia precibus ardentissimis à Deo petit, *ut populum suum exulem, & tristi servitute Babylonica oppressum, benignè respicere, & in Patriam reducere velit*, insertis persuadendi argumentis à *misericordia, bonitate & liberationis beneficio ex Ægypto*, ductis. Verba hæc sunt: v.7. *Miserationes Iehovæ memorare faciam, laudes Iehovæ super*

omnibus,

omnibus, quæ reddidit nobis Iehovah, & multitudinem boni domui Israël, quod reddidit eis secundum misericordias suas, & secundum multitudinem miserationum suarum. v. 8. *Et dixit: verè populus meus sunt, filij, qui non mentientur, & factus est eis in* SALVATOREM. *v.* 9. *In omni angustiâ eorum non angustia, &* ANGELUS FACIERUM EIUS *salvos fecit eos, propter dilectionem suam, & propter indulgentiam suam* IPSE *redemit eos, & tulit eos, & portavit eos omnibus diebus seculi, v.* 10. *Et ipsi rebelles fuerunt, &* dolore *affecerunt* SPIRITUM SANCTITATIS EIUS: *ideò versus est eis in inimicum, &* IPSE *pugnavit contra eos. v.* 11. *Et recordatus est dierum seculi Moseh populi sui. Ubi ascendere faciens eos de mari cum pastoribus pecoris sui? (ubi) ponens in medio eius Spiritum Sanctitatis suæ? v.* 12. *(ubi) deducens ad dexteram Moseh brachio gloriæ suæ? (ubi) scindens aquas à facie eorum, ad faciendum sibi nomen seculi? v.* 13. *(ubi) deducens eos per abyssos, sicut equum per desertum, (ut) non impingerent. v.* 14. *Veluti animal per vallem descendet, Spiritus Domini requiescere faciet eum: sic duxisti populum tuum ad faciendum Tibi nomen gloriæ, v.* 15. *Aspice è cœlis & vide de habitaculo sanctitatis tuæ, & gloriæ tuæ: ubi Zelus tuus, & fortitudines tuæ tumultus viscerum tuorum, et miserationum tuarum, erga me continuerunt se, v.* 16. *Nam* Tu *Pater noster, etc.*

Ad felicius formandam noſtram Concluſionem pro *Trinitate* ex hoc loco, præmittimus 1. Locum 1. Cor. c. 10. v. 9. in quo monemur, NE *tentemus* CHRISTUM, *sicut quidam eorum* TENTARUNT, ſcilicet CHRISTUM; hoc modo enim *explendum* eſſe probamus, quia 1. *eodem modo antecedentia explentur. Neque sitis v.* 7. *Idololatræ, sicut quidam eorum*, ſc. erant *Idololatræ.* 2. Conſeq. eodem modo profe-runtur v. 10. *Neque murmuretis, sicut quidam eorum murmuraverunt.*

Instat Smalcius: 1. CHRISTUM TUNC *non* TENTATUM *fuisse.* 2. *Concupiscentiam Corinthiorum nihil similitudinis alere cum concupiscentiâ Israëlitarum. Hanc enim non nisi de rebus ad carnem spectantibus, illam non nisi de vitijs animi præteritis intelligi posse.* Resp. 1. Smalcium *contradicere* Paulo. At Paulo potius stamus, quàm Smalcio- 2. Non urgemus *eandem speciem peccati secundum omnes circumstantias specialissimas*, sed secundum *generalissimas*. Neque sitis Idololatræ (e. g. accubendo idolothytis) Sicut quidam eorum (in sacrificijs vituli.) Historia describitur Exod. 32. quando Mose morante in monte cum Deo, populus sibi fabricavit vitulum aureum, & dixit; *isti sunt Dij tui, ô Israël qui eduxerunt te ex Ægypto:* & Aron proclamavit festum; *cras solemnitas erit Iehovæ.* Obtulerunt autem tunc *sacrificia* & *pacifica*, postea *consederunt* ad *convivandum*, & *surrexerunt* (uti in Hebræo) ad *ridendum*, hoc est, ludendum, *saltandum*, & *venerem exercendam*; quod *factum*, Corinthiorum *peccato* haud multum *dissimile.* Nam & *hi sedebant in Idolêo, edentes, bibentes, postea surgebant ad ludendum & saltandum.* Ethnici enim in sacris *convivia* & *ludos* agitare solebant, uti hodie Papistæ in encænijs templorum. At Israëlitæ id facientes fuerunt *idololatræ*; Ergo & Corinthij similia committentes *accumbendo* scil. *idolothytis*, facti sunt idololatræ. Neque *scortemur, sicut quidam eorum scortati sunt, et ceciderunt uno die viginti tria milia.* Historia extat Num. 25. ubi Moabitæ filias suas lascivo Israëlitarum populo prostituerunt, illoque facto eundem ad *scortandum* & *sacrificandum idolis*, maximè *Baal-peor*, hoc est, *Domino apertionis seu hortorum* (qui Priapus erat) illexerunt. Fædis hisce libidinibus Corinthiorum quoque urbs refertissima fuit: extabat enim in ea *fanum veneris, cui* 1000. *puellæ consecratæ, quæ adventantibus prostitutæ, quæstum ingentem veneri parabant.* Vt igitur à tàm

spurea

ſpurea re caveant, monet *propoſito Iſraëlitarum exemplo*, quorum ob *idololatriam* & *venerem* ceciderunt uno die 23000. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentârunt*, & *à ſerpentibus perierunt*. Tentatur autem Chriſtus variè; I. *contemnendo media oblata*, & *petendo extraordinaria*; an ſcil. poſſit *præter ordinem naturæ* agere, ut Matth. 4. an poſſet ex lapidibus panes facere, hominem ſine pane ſuſtentare. II. *cum media deſunt, præſcribendo Deo tempus & modum agendi nos ſervandi*, ut Jud. 8. III *peccatis Deum irritando & explorando, an ſit verax & potens ad nos puniendum*. Uti verò Iſraëlitæ Num. 21. (quæ hiſtoria hîc propriè allegatur) potiſſimùm ſecundo & tertio modo *Chriſtum tentârunt* reſpuendo per faſtidium *panem & aquam præſentem*, & *novos cibos concupiſcendo*, quo illicito appetitu Deum quaſi explorârunt, an *verax & potens ſit* ad vindictam: ita ſimili modo *Corinthij* quoque *tentârunt Chriſtum*, quando *communi cibo noluerunt eſſe contenti*, ſed *idolorum epula* non ſine infirmorum ſcandalo) *appetiêrunt*, atq; illicito hoc appetitu *Deum explorârunt*. an *verax & potens ſit*, ad puniendum eos. Hinc pro divinitate τοῦ Λόγου æterna ſic argumentor: *Quem tentârunt Iſraëlitæ in deſerto, is fuit Iehovah; quem tentârunt Iſraëlitæ in deſerto, is fuit Chriſtus: Chriſtus igitur Iehova.* In argumento hoc Enjedinus negat I. Maiorem, ceu *particularem, eo quod & Moſen Iſraëlitæ in deſerto tentârint, qui tamen Deus æternus non ſit*; aſſertionem ſuam roborare allaborat è Num. c. 21. v. 5. *locutus eſt populus contra Dominum & Moſen* & v. 7. *peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum &c.* At fumos vendit Eniedinus, habetur quidem hoc loco, populum *locutum* eſſe contra Moſen, & *murmuraſſe* contra eundem; quod vero etiam Moſen *tentaverint*, nuſpiam legitur: hinc Moſes Exod. 17. v. 2. diſertè inter *murmur adverſum ſe*, & *tentationem Iehovæ* his diſtinguit verbis: *cur*

iurgamini

iurgamini mecum, quare tentatis Iehovam? non autem quare *tentatis* me; & v. 7. *locus dictus est Massa & Meriba, propter iurgium filiorum Israël, & quod tentassent Iehovam, dicendo: Est ne Iehova in medio nostri, an non?* Maior ergo *universalissima* manet: *Quemcunq; tentârunt Israëlitæ in deserto, is fuit Iehova:* Rario: quia SOLVM Jehovam tentârunt: *At Christum tentârunt; Ergo Christus est Iehova.* II. Minorem quoque allatrat Eniedinus I. prætendendo, *Paulum non dicere, Israelitas tentasse Christum, sed absolutè, illos tentasse.* Verbum enim ἐπείραζον non *transitivè*, sed *absolutè* poni, sicut versu sequenti verbum μηδὲ γογγύζετε, *neque murmurate: ita hic: sicut illi tentârunt, id est, tentationem fecerunt.* Verùm verbum πειράζειν, *tentare* semper *activum*, *transitivè significans*; γογγύζειν vero *nunquam activum*, sed *semper neutrum* esse, fusè probant Grammatici: semper ergò, uti supra demonstravimus, subaudiendus (brevitatis causa omissus) *accusativus*, τὸν Χριστὸν, vel relativum, ὃν τὸν, hoc sensu: *neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt* scil. CHRISTVM; seu IPSVM. II. Contendit, *si maximè ob transitivam significationem verbi* ἐπείραζον *subintelligendus sit accusativus, illum tamen non ex antecedente,* Χριστὸν, *sed ex historiâ,* Θεὸν, *supplendum esse hoc sensu: Nolite vos tentare Christum, sicut illi tentarunt Deum; idq; probare nititur* 1. *dictis Scripturæ*, Psal. 77. v. 18. 41. 51. Psal. 106. v. 7. 14. 29. 31. 43. Hebr. 3. 9. 2. *ratione; Christus inquit Eniedinus, dicitur unctus tantum quoad corpus: at tunc quoad corpus nondum fuit, non ergo tunc potuit tentari.* Verùm quamvis, sensu biblico, *nullus Deum in deserto tentavit, qui non simul Christum tentavit*, quia Christus fuit & est *Iehova* seu *Dominus*, *dux populi in deserto*; sensu tamen Photiniano 1. nulla in argumento Pauli esset consequentia: *Non poterit is impunè tentare Christum, quia illi non impunè potuerunt tentare Deum*, eò quod ab *imparibus* nulla fit sequela.

quela. Nisi ergò Photiniani præsupponant, *Christum* esse *verum Deum*, seu *parem Deo*, argumenti consequentia semper laborabit. 2. Quamvis secundum *humanam naturam*, iuxta quam *propriè* unctus dicitur, non fuerit in deserto, fuit tamen *ibi* secundum *Deitatem* suam & *officium*, ad quod abæterno fuit ordinatus, quam ob causam etiam Christus dicitur, *heri, hodie, & in secula*. III. Excipit, *ex repetitione casus accusativi non stabiliri Deitatem* ἐκ λόγου, quando ita: *Qua ratione Christus dicitur tentatus in deserto, eadem etiam fuit in deserto: at tentatus dicitur tantùm in figura*, v. 6. & 12. *sicut olim in V. T. in figuris dicitur occisus venditus & crucifixus. Ergo etiam in figura quadam tantùm fuit in deserto*, hoc est, in *re aliqua, Christum repræsentante & significante*. Verùm tota hæc collectio *crimine falsi* laborat: *Figura* enim non in *Deo, Christo, Mose*, aut *in ipsis tentantibus*, sed in *peccato* & *eventu seu pœna Israelitarum* dicitur fuisse; verba clariora sunt, quàm ut ulla Sophistica eludi possint: *Hæc omnia evenerunt eis typicè in nostram admonitionem*. IV. Ait: *Israelitas tentasse Christum, sed non illum, cuius tentationem Paulus prohibet Corinthijs, sed suum & à Deo sibi datum Christum, nempe Mosen, qui ob typum & figuram, quam gessit, possit dici Christus*. At deliria hæc sunt, Photiniano occæcato digna. 1. *Moses* in scripturis nullibi dicitur *Christus*. 2. in sacris quidem legimus, *Israelitas contra Mosen murmurasse*, eosdem verò *eum tentasse* nullibi reperimus. Apostolus autem non de *murmure*, verùm de *tentatione* (quæ *divinæ in Deo & Christo virtutis, potentiæ, & veritatis, ex infidelitate facta exploratio erat & abnegatio*) loquitur. 3. *ille ab Israëlitis est tentatus, qui serpentibus igneis istud peccatum vendicavit; Atqui non Moses, sed Iehova misit inter illos serpentes; Ergo non Mosen, sed Iehovam tentarunt*. 4. Scriptura clarè testatur, non *Mosen*, aut *Aronem*, sed Deum verum fuisse tentatum, Exod. 17. v. 2. *Populus*

 iurgatus

iurgatus contra Moſen, cum non haberent aquam in Raphidim, reſpondet eis: cur tentatis Deum, & vocavit nomen loci eius tentatio, verſ. 7. Num. 14. v. 22. Deut. 6. *non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis in Maſſa.* Pſal. 78. v. 18. *& tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animalibus ſuis*; v. 41. *& converſi ſunt, & tentaverunt Deum, & ſanctum Iſrael exacerbaverunt*: v. 56. *Et tentaverunt* & *exacerbaverunt Deum excelſum*; Pſ. 106. v. 9. *& concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentaverunt Deum in aquoſo.* Hebr. 3. v. 9. *ubi tentaverunt* ME, *ait Dominus, Patres veſtri.* Equibus teſtimonijs liquet, Deum verum, & non Moſen aut Aronem fuiſſe tentatum. V. Nonnulli Photiniani ad Epiphanium confugiunt, qui dicat, *ſcriptum fuiſſe; Neque tentemus Dominum*, Marcionem verò pro *Dominum*; feciſſe *Chriſtum*. at hæc 1. ab Epiphanio non ſolùm *præter omnium antiquiſſimorum codicum fidem*, ſed & contra *ſyriacam verſionem* (quæ legit: *neque tentemus Meſchicho*) dicuntur. 2. Paulus non tantum verſu hoc 9. ſed & præced. 4. *Chriſti* meminit.

II. Præmittimus Johan. 8. v. 58. *antequam Abraham fieret*, EGO SUM. Syrus: *Dico vobis, quod* NONDUM FVIT ABRAHAM, EGO ERAM. Quo loco mirum-quantum clariſſimè Chriſtus dicit, ſe *ante Abrahamum exſtitiſſe*, & hoc modo *æternum* DEUM *eſſe*. Excipiunt Photiniani 1. in Catechiſ. pag. 61. *aliud eſſe, quod ante Abrahamum Chriſtus fuerit*, & *aliud quod ab æterno*. 2. v. 58. in textu græco ita legi poſſe: *antequam Abraham fiat ſeu erit, ego ſum*, *med. term. quia aoriſti* SEMPER *ſequuntur* TEMPUS *eorum verborum, quibus cum iunguntur. Si præſ. præſ. ſi præt. præt.* &c. 3. collationis gratia adducunt, Joh. 13. v. 19. c. 14. v. 29. atque hunc eruunt ſenſum: *Creditе, quod ego ſim lux mundi, antequam gratia Dei vobis auferatur, & gentibus detur, ſicq; re-*

ipſa

ipsa Abraham vi nominis sui multarum gentium Pater fiat: Resp. 1. Maiorem hanc esse particularem in primâ figurâ. Ergò ἀπλέγιτον patet id ex Psal. 90. πρὸ τοῦ ὄρη γενηθῆναι, &c. οὐ εἶ Joh. 14. v. 29. *Nunc dixi vobis,* πρὶν γενέσθαι, id est, *priusquam futurum est.* Ergò Maior particularis. 2. sufficiat Christianis contra Photinianos, *Christum ante Abrahamum fuisse,* cum illi Christo, ante suam è Maria nativitatem, *omnem existentiam* planè denegent, 3. optima quoq; consequentia Christi: *ante Abraham fui, non secundum humanam, ergo secundum divinam naturam.* Sed excipiendo pergunt Photiniani, atque hunc sensum eliciunt, vers. 58. *Christum esse* LUCEM MUNDI, *antequam ex Abram fiat Abraham:* id est, *antequam post adscensionem, ex gentibus & Iudæis fiat unum ovile.* Quantum autem hanc *subtilitatem* (quæ cum priore concordat) mirentur Photiniani, claret ex Fausto Socino in Disp. de unigeniti Filij Dei existentiâ adversus Erasmum Johannis, Anno 1595. mens. Junio edita arg. 4. fol. 67. Verba hæc sunt: *Sperabam* TE *fassurum, nullam in vita tua Scripturæ interpretationem* TE *audivisse, quæ* HAC *sit aut* AUCTIOR *aut* VERIOR, *quæve magis* DIVINUM QUID SAPIAT, & à DEO IPSO *patefactam fuisse præ se ferat. Ego quidem certè non leves conjecturas habeo,* ILLUM, *qui primus ætate nostrâ eam in lucem protulit,* (Lælius Socinus) *precibus multis ab ipso Christo illam impetrâsse. Hoc profectò affirmare ausim, cùm* DEUS *illi viro per multa alys prorsus* TUNC *temporis incognita patefecerit, vix quicquam inter illa omnia esse, quod interpretatione hâc* DIVINIUS *videri queat.* Hæc Faustus Socinus, &c. Resp. 1. Christus non dicit, ut supra, *Ego sum lux mundi,* sed EGO SUM; prius Judæos *non malè* habuit, sed HOC. Dixerat enim Christus v. 58. *amen amen dico vobis si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Objiciunt Judæi v. 52. *Abraham & Prophetas esse mortuos;* ad objectionem

hanc respondet Christus v. 56. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est*: objiciunt denuò Judæi v. 17. *quinquaginta* ANNOS *nondum natus es, & Abraham vidisti*; respondet Christus v. 58. *antequam Abraham esset, ego sum*: ex quo pronunciato, postquam animadvertunt; Christum, *se Deum æternum esse*, testari, ideo *blasphemiam* hanc lapidibus vindicandam judicant; unde verè Augustin. tract. 48. in Johan. *Ecce Iudæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani.* 2. Textui *manifestam vim* inferunt. Christus ait: *amen dico vobis, antequam Abraham erat, ego sum*: Photiniani per crimen falsi addunt, πιστευετε, *credite.* 3. Christus *absolutè* pronunciat, se ESSE, illi prædicatum addunt, se esse, *lucem mundi.* 4. tempus *præteritum* in *futurum* mutant; licet enim τὸ γένεσθαι aliquando de *futuro* tempore accipiatur, huic tamen loco non competit, quia quæstio de *præterito* erat tempore, an *Abraham diem Christi viderit?* 5. Christus de Abrahamo dicit, πρὶν γενέσθαι, *antequam fieret*, quo indicat, Abrahamum esse *creaturam*, & habere *principium*; de se verò dicit: ἐγώ εἰμι, innuens se nec *creatum* aut *factum*, sed *immutabile & æternum habere esse*. 6. Abram factus est Abraham, Pater multarum gentium, non *demum post adscensionem Christi in cælos, sed longè ante Mosen, ipsis suæ vitæ temporibus*, ut est, Rom. 4. vers. 11. 12. *Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei,* εἰς τὸ εἶναι, *ad* ESSE (NB. in *præsenti*, suo tempore, &c.) *ad* ESSE *Patrem* OMNIVM *credentium* IN *præputio*, & *Patrem circumcisorum.* Adde 2. Par. 2. 17. Ps. 96. Dan. 3. v. 23. &c. v. 98. 99. &c. quin hoc respectu etiam *Adamus* IN PRÆPUTIO, quà *credens*, fuit spiritualis filius Abrahæ, Patris nondum existentis. *Abraham enim*, teste Paulo, *signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, ad* ESSE *Patrem* OMNIUM (NB.) *credentium.* At ex his Adamus: Ergò

Adami

Adami Pater Abraham; Ergò *Christus fuit ante Abraham*; Ergò *Christus fuit ante Adamum.*

III. Præmittimus, Esaiam c.63. adducere *exitum Israelitarum ex Aegypto:* ita enim: *Vbi est, qui ascendere fecit eos de Mari?* &c. Ergo Exodus consulenda est tota, quæ hanc historiam habet. Duo autem sunt potissimum consideranda. I. In hoc egressu de ANGELO dicitur 1. *quòd præcesserit Iudæos noctu in columnâ Ignis, &c.* Exod. 14. v. 19. 20. c.23. v.20.21. 2. quòd *legem tulerit*, Exod. 23. v. 20. 21. 22. 3. quòd *contra ipsum murmurantes puniverit*, Exod. 23. v. 11. *cave à facie eius, & obtempera voci eius, neque enim parcet prævaricationi vestræ, nomen meum in medio eius.* II. In hoc egressu ex Ægypto hæc ipsa tria puncta dicuntur de IPSISSIMO VERO DEO, non de *Angelo quodam creato.* Nam 1. quòd DEVS Ipse *præcesserit*, patet Exod. 13. 21. 22. *Iehova præcedebat eos &c.* & quidem SOLVS Deut. 32. vers. 12. 2. quòd *ipse legem tulerit*, Exod. 19. & 20. v. 1. *Ego Iehovah Deus tuus.* 3. Quòd *Ipse Iehovah puniverit murmurantes*, Exod. 32. v. 9. 10. & 33. *Qui eduxi te de terrâ Mizraim, de domo servitutis.*

IV. Præmittimus, Angeli creati, cùm sint Legati Dei, omnia ad LEGANTEM referunt. AT HIC ANGELVS Exod. 3. dicit: v. 6. EGO SUM *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* v. 7. VIDI *afflictionem populi mei in Ægypto*, & *clamorem eius* AUDIVI, *propter duritiem eorum, qui præsunt operibus, quia* NOVI *dolorem eius*, v. 8. & *descendi ad liberandum eum è manu Aegyptiorum*, & *ad educendum eum de terrâ illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* v. 9. *Ecce clamor Filiorum Israel venit ad* ME, & VIDI *etiam afflictionem eorum, quâ ab Aegyptiis opprimuntur.* v. 10. *Sed* VENI *& mittam* TE *ad Pharaonem, ut educas populum meum.* Quæ omnia nulli *creato Angelo* competunt, sed *soli Iehovæ.* Nam

ad *verum Deum clamaverunt in Ægypto*, Exod. 2. v. 23. 24. *Deus verus vidit afflictionem eorum*; d. l. *Deus verus audivit gemitum eorum.* d. l. *Deus verus misit Mosen ad Pharaonem* Actor. 7. v. 35. At demonstretur ex unico loco SCRIPTURÆ, quòd DEUS *talia opera communicet Legatis suis creatis* probetur, quòd creati Legati dicant: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, &c. Ego videndo vidi, &c.* quasi verò Legatus Principis aut Cæsaris dicat: *Ego sum Princeps Dei gratiâ, &c. Ego sum Cæsar*, &c. ἀουσεατωταται!

V. Præmittimus: Messias exsertè *Angelus* dicitur: Mal. 3. v. 1. *Ecce Ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & ANGELUS TESTAMENTI, quem vos desideratis, ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Angelo huic *deductio populi Israelitici* adscribitur Exod. 23. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem præparavi. observa eum, & audi ipsum, quia non relinquet te impunitum, cum peccaveris, & est nomen meum in illo.* Exod. 33. *mittam ante faciem Angelum, ut ejiciat Cananæum & Amorhæum.* Esse autem hunc Angelum *Deum Iehovam*, Patet I. è claris Scripturæ dictis: Deut. 31. v. 3. *Dominus ergò Deus tuus ipse transivit ante te, ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo: v. 6. nolite timere, quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus; v. 8. Dominus, qui ductor est tuus, ipse est tecum.* Deut. 32. v. 12. *Dominus* SOLUS *dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* II. Ex *attributis* Esa. 63. v. 9. huic Angelo assignatis. *Angelus faciei eius salvavit eos, in dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos. & sustinuit eos, cunctis diebus seculi*; qui Angelus sane *nullus alius*, quàm Λόγος: 1. is solus est *Angelus faciei*, hoc est, *imago Dei invisibilis*, Col. cap. 1. & *character substantiæ Patris* Heb. 1. v. 3. Is solus populum suum *salvum fecit* spiritualiter, Matth. 1.

Matth. 1. v. 21. corporaliter, Deut. 32. v. 12. Is solus *ineffabili gratia amore & misericordia motus, nos redemit*, Joh. 15. v. 13. *Is solus lapsos nos erexit, tulitq; cunctis diebus, & in omnem aeternitatem conservat*, 1. Petr. 1. v. 5. 1. Cor. 1. v. 8. III. ex *officio mediatorio*, quo functus est hic Angelus. Exod. 33. denegat Deus populo suo flagitioso *præsentiam gratiosam*, donec hic populus duræ cervicis per *mediatorem* cum ipso reconcilietur atque *pœnitentiâ actâ* in gratiam recipiatur: ita autem v. 2. Jehova loquitur: *mittam Angelum meum, ante faciem tuam, qui expellat Cananitas*; v. 3. *non adscendam tecum, quia es populus duræ cervicis, ne forte* (ceu justus scelerum judex & vindex *consumam te in via*; quibus verbis (quicquid alij de *columna nubis* & *ignis* hic afferant) officium hujus Angeli describitur, quod sit *mediator* Dei & hominum, *reconcilians* homines peccatores Deo, & pro ipsis *intercedens*, *ne Deus, tanquam ignis consumens propter peccata eos statim consumat*. Contra quidem urgent locum Hebr. 1. *Nulli Angelorum dixit*, &c. sed TOTA *συνέχεια* Epistolæ ad Hebræos demonstrat, maiorem limitandam esse, Nulli *Angelorum creatorum* dixit, &c.

VI. Præmittimus: Non ita argumentamur: *Hoc loco* TRIUM *fit mentio, Ergò sunt* TRES PERSONÆ *in unâ indivisa Essentiâ Divinâ.* Non ita! Sed addimus ex illis ipsis vel parallelis Locis effulgescere ilicet, *prædicata* esse ejusmodi, quæ DEO & *alijs* citra absurditatem *simùl competere* possint. Hoc modo *Servator populi Israelitici* est DEUS & *Moses*, &c. sed unusquisque videt prædicatum hoc, *esse Servatorem*, competibile esse DEO & *homini*, etsi *modo inæquali*; DEO enim competit, ut *efficienti*; *Mosi*, ut *instrumentali causæ*, per quam Deo placuit populum Israel educere. Hoc modo, 2. Paral. 20. v. 20. dicit Josaphat: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis; Credite Prophetis eius, & cuncta aeveniens*

prospe-

prospera. Sed unusquisque videt, etiam hoc prædicatum competere DEO, & *Prophetis*, sed DEO, *magisterialiter: Prophetis, ministerialiter*; Quia DEVS *ministerio Prophetarum* utitur, 2. Pet. 1. Quæ autem sequela? in alijs locis acclamantibus singulis circumstantijs, sæpiusculè *caussæ efficienti principali adiungitur caussa instrumentalis*, qua pro suo lubitu utitur. Ergò etiam hoc loco. Manifesta fallacia Conseq. Hic enim *Angelus*, &c. Es. 63. non *minister*, sed *magister* est. IPSE *est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; Ipse videndo vidit afflictionem Israel:* IPSE *propter indulgentiam suam, & propter dilectionem suam redemit eos*: IPSE *portavit eos omnibus diebus seculi, &c.* Hæc *magisterialia*, non *ministerialia* sunt. Quale autem sit opus *Liberatio ex Ægypto*, vide Deut. 4. v. 31. 32. 33. 34. &c. *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante* TE, *ex die, quo creavit* DEUS *hominem super terram, ab extremitate cæli ad extremitatem eius*, SI FACTA *est aliquando* HUJUSMODI RES MAGNA, &c.

VII. Præmittimus, SOLAM *personam invocari.* Nam quem invocamus, ille debet *audire suspiria nostra, ille* debet *nosse opportunum tempus, quo succurrat*, & quo nobis succurrere *commodum* est. At hæc propria sunt *personarum.* Ergò, solæ personæ invocantur. Contrà quidem Socinus Defensione Animadversionum cap. 13. fol. 323. ita excipit: *Quamvis exemplum fortasse nullum eius rei inveniatur, tamen non videmus, cur quispiam Deum, & eius virtutem atque potentiam, invocare non possit. Eam virtutem dicimus & potentiam Dei, quam inter omnes constat, non esse personam. Certè David alicubi dicit, se in umbrâ alarum* (Psal. 57. v. 2.) *Dei speraturum, & hoc alibi alios facturos ait. Alijs verò in locis, se in misericordâ Dei sperâsse* (Ps. 36. v. 8.) *affirmat, nec tamen vel umbra alarum, vel eius misericordia sunt personæ. Quid verò prohibet, quò minus id invocetur, in quo speratur? Quamquam si, ut velle videtur,*

detur adversarius. Vox nomen, cùm de eo dicitur, ad quem cultum aliquis referatur, potestatem & virtutem divinam significat; ubicunque legimus, quod passim evenit, Dei nomen invocatum fuisse; ibi DEI *potestatem atque virtutem fuisse invocatam, scriptum esse, confitendum erit.* Hæc ille. Sed Resp. 1. Socinum dubitanter dicere: FORTASSE NVLLVM *eius rei Exemplum invenitur.* Ergò signum desperatæ causæ. 2. in adductis locis sunt Radices בטח & חסה. At hæ generalissimè significant *collocare præsidium in rem quamcunque, divinam, humanam, inanimatam, &c.* ut patet ex Gen. 34. vers. 25. Lev. 25. 19. Jud. 9. 15. dicit Rhamnus, *Venite, sperate, confidite in umbrâ meâ.* Esa. 36. vers. 9. *Confidens super Ægyptum, &c.* Sed quid hoc generalissimum ad *invocationem illius, quem prius* IRASCI *fecerunt?* Nihil! 3. Quis nescit, ingenium harum φράσεων, in *umbrâ alarum* DEI, in *misericordiâ* DEI *sperare*, idem esse, quod in DEO *protectore, in* DEO MISERICORDI *sperare*, ut ipsi textus clamant? At quomodo hæc possunt applicari ad præsentem materiam: *Invocamus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, id est, Patrem, Filium, illos Spiritûs, illos Sanctos.* At quid hoc est? 4. *Nomen* DEI est *Ipse* DEUS, Deut. 28. *ut timeas* השם, *nomen illud*, Psal. 20. 2. Psal. 51. 11. Ps. 63. vers. 5. &c.

His præmissis argumentamur *distinctim*, & *conjunctim.* DISTINCTIM: De *Patre* est extra controversiam; fundatur enim prima persona, v. 7. capitis huius 63. *miserationum Domini recordabor, &c.* De *Filio* autem & *Spiritu Sancto* probatur. De FILIO: Hic *Angelus faciei* יהוה aut est *Pater*, aut *Spiritus Sanctus*, aut *Angelus creatus*, aut *Moses*, aut *Christus*, aut *alius*: sufficientissima enumeratio; At non est *Pater*, non *Spiritus S.* hi enim *nusquam* & *nunquam* vocantur *Angeli.* Non *Angelus creatus*: I. Nullienim *creato Legato*

hæc attributa possunt attribui, ex dictis. & repugnat 2. clarus contextus Deut. 32. v. 12. Exod. 13. v. 21. Non *Moses:* hunc enim tentatum fuisse tota Scriptura Sacra nescit: Ergò Christus interprete Paulo 1. Corinth. 10. est ANGELUS *faciei um Iehovæ, Angelus in deserto*, Exod. 14. & 23. & hoc 63. cap. Vlterius: *Qui est Angelus ille in deserto, ille præcessit castra Israëlitarum:* Exod. 14. *At Christus fuit Angelus ille in deserto: E. Christus præcessit castra Israëlitarum.* Vlterius *Qui præcessit castra Israël, ille est Iehovah*, Exod. 13. v. 21. 22. *At Christus præcessit castra Israël.* Ergò. *Christus est Iehovah.* Vlterius: *Quicunque est Iehovah, ille est Verus* DEUS *Creator cæli & Terræ:* Exod. 4. *At Christus est Iehovah. Ergò, est creator cæli & terræ.* DE SPIRITV SANCTO: 1. *Quòd sit* DEUS: *Qui ut Caussa Efficiens principalis eduxit Israël ex Ægypto, ille est* DEUS *ille verus, extra quem non est alius.* Maior est Deut. 4. v. 34. 35. 36. &c. & c. 32. v. 12. *Iehovah* SOLUS *deduxit illum, &c. At Spiritus Sanctus est talis:* Ergò. Minor est in loco allegato, ubi hoc opus *Spiritui Sanctitatis Iehovæ* ÆQUALITER *tribuitur.* 2. Quod sit PERSONA: *Cui propria personæ propriè tribuuntur, ille est persona:* At *Spiritui S. propria personæ propriè tribuuntur.* Ergò. Minor est hoc loco, in quo *invocant*, quem prius *dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis*, &c. Ad hæc omnia personæ propria sunt, &c. Excipit Smalcius: *Spiritum Sanctum dolore affici, sicut Ephes. 4. vers. 30. Spiritu Sancto obsignari dicimur. At nemo personâ obsignatur.* Resp. 1. Neg. medium probationis. Nam etiam PERSONA certo respectu *obsignari*, patet Joh. 3. v. 33. cap. 6. 27. *Edentem de pane Vitæ* DEUS *obsignat, &c.* 2. DE Christo similes phrases sunt Rom. 8. vers. 10. Gal. 3. v. 27. cap. 4. 19. & tamen *personalitate* non dejicitur. Ergò Maior Photinianorum non est universalis. 3. Ephes. 4. v. 30. intelliguntur *dona Spiritus Sancti:*

per

per μετωνυμίαν, quæautem sequela. Ergò etiam Esai. 63. Nulla. CONIUNCTIM: *Quicunque in Operibus mere-divinis* ÆQUALITER *conjunguntur, & invocantur* ÆQUALITER, *illi sunt personæ: Quia τὸ Operari & Invocari* proprium *personarum est. At Pater, Angelus facierum Iehovæ, & Spiritus Sanctitatis in operibus merè-divinis conjunguntur* ÆQUALITER, *& invocantur* ÆQUALITER. Nam in toto contextu Esaiæ nullum vestigiolum INÆQUALITATIS apparet, quòd aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus Sanctus operatus fuerit. Ergò *æqualitate textus stamus.* Ergò *Pater, Angelus Facierum Iehovæ, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ.* Vlterius: *Quicunque in operibus merè-divinis conjunguntur Æqualiter, & invocantur Æqualiter, illi sunt verus ille æternus* DEUS. Quia *Vnus est* DEUS, & *solus Iehovah eduxit populum,* Deut. 32. vers. 12. & *solus Iehovah adorandus,* Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20. *At hæ tres personæ,* PATER, ANGELUS FACIERUM JEHOVÆ, & SPIRITUS SANCTITATIS *ejus, in operibus merè divinis conjunguntur* ÆQUALITER, *& invocantur* ÆQUALITER *à totâ Ecclesiâ Iudaicâ: Ergò Pater, Angelus Facierum Iehovæ, & Spiritus Sanctitatis ejus sunt verus ille æternus* DEUS: quod credendum. Minor est in adducto loco Esaiæ.

V. Esaiæ 6. vers. 1. *In anno mori Regem Oziam, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & simbriæ eius replentes palatium.* vers. 2. *Seraphim stantes super illud,* &c. vers. 3. *& clamavit alter ad alterum, & dixit:* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS JEHOVAH *Zebaoth, plena est omnis terra gloriâ eius,* vers. 5. *Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia* VIR *pollutus labijs, & in medio populi polluti labijs habito: quia Regem* JEHOVAM *Zebaoth* VIDERUNT *oculi mei,* vers. 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim,* &c. v. 8. *Et audivi Vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit* Esa. 6. v. 1.

NOBIS? *Et dixi, Ecce ego, mitte me.* v. 9. *Et dixit: Vade, & dices populo* HUIC: *Audite audiendo, & ne intelligatis; Videte videndo, & ne cognoscatis; Impingua cor populi hujus, & aures eius aggrava, & oculos eius obline, ne fortè videat in oculis suis, & in auribus suis audiat, & cor de suo intelligat, & convertatur, & medeatur ipsi.* Caput hoc citatur à Johan. 12. & Act. 28. Joan. 12. vers. 40. 41. 42. applicatur ad CHRISTVM. Contrà disputat Enied. *non de Christo, sed de Patre intelligi posse,* QUIA *non de Christo, sed de Patre intelligatur,* τὸ EXCÆCAVIT, &c. Resp. instantiam hanc petere principium. Quomodo enim probabitur, τὸ EXCÆCAVIT, non ad *Christum* etiam, sed *exclusivè* ad *Patrem* referri? Contrariam ipsa lectio antegredientium & consequentium plenè persuadet. Ita enim Evangelista cap. 12. v. 37. *Cùm tam multa signa fecisset* JESUS, *coram eis, non credebant in* EUM, (JESUM) v. 38. *Vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine,* (JESU. Dicit enim Enied. explicat. pag. 234. cap. 53. *semper de* CHRISTO *citari in N. T. & non de Deo Patre, sed de Christo loqui*) *quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* vers. 39. *Propterea non poterant credere:* (ex anteced. in EUM JESUM) *quia iterum dixit Esaias:* vers. 40. (JESUS, à posteriori, ceu justus scelerum judex) *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne videant oculis, & ne intelligant corde, & convertantur, & sanem eos,* vers. 41. *Hæc dixit Esaias, quando* VIDIT GLORIAM EIUS (JESU) *& locutus est de* EO (JESU) v. 42. *Veruntamen ex principibus etiam multi crediderunt in* EUM (JESUM) *sed propter Pharisæos non confitebantur, nè è Synagogâ ejicerentur.* Quod tam liquidum est, ut Enjedinus ad clausulam huius loci adijciat, pag. 235. *Illud non* INVITUS *concesserim, secundariò, & quatenus posterior ratio, in priore, virtute includitur, etiam ad posterius.*

posterius dictum, *illud* HÆC *pertinere*. Hæc Enied. Plura quidem excipit, sed omnia illicet evanescunt, quam primùm hæc catena urgetur, & v. 5. c. 6. Esaiæ adhibetur, ubi Propheta dicit: REGEM JEHOVAM *Zebaoth* VIDERUNT OCULI MEI. Si enim *Regem Iehovam Zebaoth, Creatorem cæli & Terræ vidit*, frustra sunt, quæ excipit ex Num. 24. vers. 12. VIDEO *illum, sed non modò, intueor illum, sed non propè*; frustra sunt, quæ addit de *prævisionibus*, & *Prophetationibus futurorum eventum* ex Ea. 30. vers. 10. frustra omnia. *Rex enim Iehovah Zebaoth est ille, qui* EST, *qui* ERAT, *& qui* VENTURUS *est*. Ap. 1. vers. 4.

Act. 28. vers. 21. applicatur ad SPIRITUM SANCTUM. Ita enim vers. 25. BENÈ SPIRITUS SANCTUS *locutus est per Esaiam Prophetam ad patres nostros*, v. 26. *dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis & non perspicietis*. vers. 27. *Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & sanem eos*. Excipit quidem Eniedinus, SPIRITUI SANCTO TANTUM *instrumentaliter tribui, sed quia nullum medium affert, & Totus contextus nullam disparitatem huius attributionis ostendit*, NOS *Verbo Dei acquiescimus*. His elucidatis, per ἄρσιν non argumentamur hoc modo: *Ter epitheton* SANCTUS *repetitur. Ergò in uno illo* DEO *sunt Tres personæ*. Ipsi enim vitiositatem huius argumentationis agnoscimus, & omninò reijcimus, ut adversariorum *levitatem* hâc in re mirari satis nesciamus. Vide Fragmenta duorum scriptorum Fausti Socini Senensis, in quorum priore sententiam eorum, (*qui* JESUM *Christum Dei filium unum illum & altissimum Deum esse, vel saltem antequam ex Mariâ nasceretur, exstitisse affirmant*)

arg. allatis refellere; in posteriore ad rationes adversariorum, *quibus Tres in unicâ Dei essentiâ personas astruere conantur*, respondere instituerat. pag. 89. sed per θέσιν hoc modo: *Quicunque distinctè vocatur Iehovah Zebaoth, cuius gloriâ omnis terra plena est, ille est* PERSONA. Τὸ γὰρ *Iehovah Zebaoth* per sacras literas non-personæ non tribuitur. ATQUI *Pater, Filius &* SPIRITUS *Sanctus distinctè vocantur Iehovah Zebaoth. Ergò Pater, Filius, &* SPIRITUS *Sanctus sunt Tres personæ.* Minor probatur. *Quicunque dixit Esaiæ Prophetæ,* VADE *& dices populo* HUIC, *audite audiendo, &c. ille est sanctus ille* JEHOVAH *Zebaoth, cuius gloriâ omnis terra plena est.* Maior est infallibilis; infallibili connexione Textus cap. 6. *Atqui non tantùm Pater, sed etiam Filius*, Joan. 12. & SPIRITUS *Sanctus*, Act. 28. *dixerunt Esaiæ Prophetæ, Vade, & dices populo huic, &c. Ergò non tantùm Pater, sed etiam Filius, & S. S. sunt sanctus ille Iehovah Zebaoth, cuius gloria omnis terra plena est.* Vlterius: *Quicunque est Iehovah Zebaoth, cuius gloria omnis terra plena est, ille est Verus ille* DEUS, *Creator cœli & terræ.* AT *hæ Tres personæ, Pater, Filius, & S. S. sunt Iehova Zebaoth, cuius gloria omnis terra plena est*, ex dictis. *Ergò* HÆ *Tres personæ, Pater, Filius, & S. S. sunt Verus ille* DEUS *Creator cœli & Terræ:* quod CREDENDUM est. *Ornandi*, NON *Probandi* gratiâ addimus hoc loco R. Simeonem Ben Johai, & Jonathanem, Ben Uziel. Rab. Simeon ita. SANCTUS HIC PATER, SANCTUS HIC FILIUS, SANCTVS HIC SPIRITUS SANCTUS. R. Jonathan æquè: SANCTUS PATER, SANCTUS FILIUS, SANCTUS SPIRITUS SANCTUS.

Psal. 33. VI. Dictum Scripturæ: Psalm. 33. *Verbo Domini cœli firmati, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Vt fortius concludamus, adjungimus loca parellela.

I. Est

I. Est Gen. 1. *In principio creavit Elohim cœlum & Terram.* vers. 2. *Et terra erat inanis & vacua, & tenebræ super faciem abyssi: Et Spiritus Elohim* מְרַחֶפֶת *movebatur super facie aquarum.* vers. 3. *Et dixit Elohim, Fiat Lux, &c.* Contra excipit Eniedinus: 1. *Ventus non est tertia Trinitatis persona: At Spiritus iste* DEI *est ventus. Ergò.* Minor: Si רוח (SPIRITUS) *sæpè venium significat, & Vox Elohim non rarò ἀϖξηλυχὴ est: & hoc loco erit. Sed prius. Ergò.* Resp. 1. in maiore nullam esse consequentiam, *si alibi Spiritus, ventum designat, Ergo & hoc loco.* 2. quòd autem h. l. non possit, patet 1. *Ventus primo die non fuit:* At *hic Spiritus fuit primo die.* Ergò. Ventus enim nihil aliud est, quàm pulsatus aër exhalationis fumosæ multitudine. Arg. *Non existente aëre non existit ventus. At primo die non exstitit aër.* Ergò. Minor fluit ex vers. 6. & 7. cap. 1. Gen. 2. ab *effectu: Ventus aquam non fovet.* Contrariatur enim aquæ per suam *siccitatem. At Spiritus iste aquam fovit.* Ergò. Minor est in contextu. Radix in Hebr. רָחַף significat, *superferendo fovere*, sicut *gallina pullos.* Ira enim רשי Commentator Rabb. ורוח אלהים מרחפת כסא כבוד עומד באויר ומרחף ע בניהמים ברוח פיו של הקבה ובמאמרו כיונה המרחפת ע הקן: sicut COLUMBA superfertur super nidum.

II. Excipit: *per Spiritum intelligi virtutem & potentiam* DEI. Resp. prædicatum *movere* & *fovere personam* per se existentem, *divinæ virtutis*, includit.

III. Excipit Enied. *Ignis non est tertia persona Trinitatis persona. At Spiritus* DEI *est Ignis Elementum*, teste Vallesio. Ergò. Respond. Minor, *nullo medio* probatur, & quôd probari non possit, patet, quia *Ignis* non potuit esse *extra expansum*, quod modo *secundo die* creatũ est. 2. *Contraria se mutuò pellunt & non fovent. At ignis & aqua sunt contraria.* Ergò. Si hoc, *Spiritus Elohim* non est *ignis:* quia Spiritus Elohim

Elohim *effectoriâ* & *fabricatoriâ vi* motus est super facie aquarum.

IV. Excipit Enied. *Si Elohim significat Trinitatem, erunt quatuor personæ, quia hic Spiritus dicitur esse Spiritus Elohim, hoc est, Trinitatis.* Resp. Elohim non semper significat *Tres personas*, sed ratione circumstantiarum aliâs *unam*, aliâs *duas* personas: hoc loco *duas*, *Patrem* & *Filium*, *quorum Spiritus esse dicitur*, Johan. 15. vers. 26. Rom. 8. vers. 9. Gal. 4. 6.

II. Est Job. 33. vers. 4. *Spiritus* DEI *fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Excipit Socinus Refutat. Wiecki & Bellarmini: *non haberi creavit, sed fecit me.* Resp. 1. hæc verba magnam inter se *cognationem* habere patet ex Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16. 2. qui, ceu *causa prima, vi primævæ benedictionis, per coordinationem maris & fœminæ*, in *conceptione prolem producit*, eundemque *mirabiliter* Psal. 139. *efformat*, ille cuncta quoque *creando produxit*, cum ad utrumque opus *persona per se existens, infinitæ & divinæ virtutis*, requiratur. 2. excipit per *Spiritum Domini* non intelligi *Spiritum Sanctum*, sed nullo medio probat. Ergò nos acquiescimus literâ. 3. excipit Enied. *Spiraculum vitæ humanæ non est persona divina: At Spiritus* DEI *hoc loco est spiraculum vitæ humanæ. Ergò.* Minor: *Idem enim Vocabulum est, Gen. 2. vers. 7. Et formavit Dominus Deus pulverem de Terrâ, & inspirat in faciem eius* נִשְׁמַת *Spiraculum vitæ, & fuit homo in animam viventem.* Resp. 1, Gen. 2. non dicitur, quòd *Spiraculum vitæ humanæ* vivificârit hominem, sed hoc dicitur, *Iehovah inspiravit in faciem Adæ spiraculum vitæ.* Inspirare autem spiraculum vitæ; & vivificare sunt ἰσοδυναμοῦντα. Ex hoc loco ergò concludimus: *Qui inspiravit homini spiraculum vitæ, ille vivificavit hominem. At Iehovah Elohim inspiravit homini spiraculum vitæ, Ergò Iehovah Elohim vivificavit*

tavit *hominem*. Vlterius: *Qui vivificavit hominem, ille etiam inſpiravit homini Spiraculum Vitæ*; *Qui inſpiravit Spiraculum Vitæ, ille eſt Iehovah Elohim*, Gen. 2. *Si Iehovah Elohim: Spiritus omnipotentis hoc loco non poteſt dici Spiraculum Vitæ humanæ, ſed perſonæ divinæ, cuius proprium eſt agere.* 2. Si *Spiraculum Vitæ feciſſet amicum Iob*, ſequeretur, falſum eſſe illud Pſalm. 100. *Ipſe nos fecit*, & NON *nos*. IPSE *nos*, &c. 3. Veriſſima Solutio eſt, verſ. 6. ſeq. *Ecce ego ſecundum Os tuum* DEO, *ex luto exciſus ſum etiam ego*. Targ. אִתְּלַשְׁתִּי *evulſus ſum, creatus ſum*: non autem *ſpiraculum vitæ humanæ* excidit ex luto hominem, ſed *Iehovah* Gen. 1. ſed *Spiritus Elohim*, qui *incubando omnia fovit, & conſervavit creata.* 4. inſtat Enied. ad noſtrum Syllogiſmum: *Cui tribuitur formatio hominis & omnium, ille eſt* DEUS *æternus, & perſona Trinitatis. At manui & digitis* DEI *tribuitur formatio hominis, & omnium Iob.* 10. 8. *cap.* 26. *v.* 14. *Formavit manus eius Serpentem fugacem*, & *Pſal.* 8. *v.* 4. *Opera digitorum tuorum ſunt cæli. Ergò manus & digiti* DEI *ſunt* DEUS *æternus, & perſona Trinitatis. Concluſio eſt abſurda; Ergò altera præmiſſarum: non Minor. Ergò Maior.* Reſp. ad Maiorem limitando. Cui tribuitur formatio hominis *propriè*, &c. Sed hoc modo negatur Minor: per *συγκατάβασιν* enim & *ἀνθρωποπάθειαν manus* & *digiti* dicuntur de DEO: quod de *Spiritu* DEI dicere, abſurdiſſimum eſt, ipſis etiam Photinianis.

III. Eſt Prov. 8. v. 22. *Iehovah poſſedit me principio viæ ſuæ, ante opera ſua, ex-*TUNC. *verſ.* 23. *A ſeculo conſtituta ſum* נסכתי *à capite, ab initijs Terræ. v.* 24. *In non (eſſe) voragines, formata ſum: in non (eſſe) fontes, loca aggravata aquis. v.* 25. *Antequam montes eſſent defixi ad facies collium, formata ſum. v.* 26. *Adhuc non fecit Terram, & plateas, & caput pulverum orbis. verſ.* 27. *In parare* IPSUM *cælos,* IBI *ego, in de-*

scribere eum Circulum super faciebus voraginis: v. 28. *Inrobrare ipsum athera desuper, in fortificare fontes voraginis*, v. 29. *In ponere ipsum mari statutum suum, & aquæ non transeant suum*, vers. 29. *In constituere* IPSUM *fundamenta Terræ* v. 30. *& eram apud eum architectus* (אָמוֹן *artifex, opifex, in suâ arte certus & probatus*, Cant. 7. v. 1. Exod. 28. v. 6. & 12. *& eram delitiæ de die, &c.* v. 34. *inveniens me, invenit* VITAS &c. Quo loco nota 1. τὸ קנה *possidere*, dicitur etiam de *parentibus liberos possidentibus generatione.* ut Genes. 4. vers. 1. 2. חלל de *formatione* FŒTUS *in utero* accipitur, Psal. 51. v. 6. hoc loco autem *ἀνθρωποπαθῶς* de *generatione Filij* DEI accipitur; 1. quia de *rebus divinis*, non nisi *Vocabulis humanis* loqui possumus. 2. quia v. 25. subijcitur: *genita sum.* Excipit Eniedinus 1. *Hæc Verba ab intelligentiâ proferuntur. Ergò nihil ad Christum.* Ratio: *Quia Apostolus Christum non intelligentiam, sed sapientiam vocat* 1. *Cor.* 1. *v.* 29. Resp. 1. negando Minorem. Nam ita in Hebræo v. 14. *Mihi consilium & essentia, ego sum intelligentia, mihi fortitudo, &c.* Vbi cuivis patet, non *Intelligentiam*, loqui, sed *Sapientiam* vocare se *Intelligentiam.* 2. Nulla est conseq. in Maiore. Paulus enim dicit ITA *Sapientiam*, ut non neget *Intelligentiam.* II. excipit: *Cui tantum per προσωποποιίαν tribuuntur actiones, ille non est persona: At huic Sapientiæ, &c.* Ergò. Minor: *Quia sicut Misericordia & Pax de cælô prospicere; & se mutuò osculari dicuntur, ita hoc loco Intelligentia vociferatur, stare in Plateis, & clamare ad portas urbium dicitur.* Resp. ad Minoris probationem esse fallaciam comparatorum. Nam *Misericordiam* & *Pacem* esse effectus à DEO, liquidum est. At non item de *hâc Sapientiâ*, cui in hoc & parallelis locis talia adsignantur, quæ SOLI DEO Creatori cœli & terræ, & soli personæ competere possunt, exempli gratia:

Johan. 1.

Joh. I. v. 1. *In* PRINCIPIO *erat Verbum, & Verbum erat* APUD DEUM, *&* DEUS *erat Verbum. v.* 2. HIC *erat in* PRINCIPIO APUD DEUM.	vers. 22. *Iehovah possedit me* PRINCIPIO *viæ, ante opera sua:* & v. 30. *Et eram* APUD *Eum architectus scil. in non esse voragines,* &c.
Psal. 2. v. 6. *Ego* נסכתי CONSTITUI *Regem, super Sion montem Sanctitatis meæ.*	v. 23. *à Seculo* CONSTITUTA *sum,* נסכתי.
Psal. 2. vers. 7. *Ego* HODIE GENUI TE. Johan. I. v. 14. *Unigenitus à Patre.*	v. 24. *In* NON *(esse) voraginis* FORMATA *sum.* v. 25. *genita sum.*
Joh. I. v. 3. *Omnia per* IPSUM *facta sunt, & sine ipso factum est,* οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. Col. I. v. 16.	v. 27. *In parare* IPSUM *cælos,* IBI *Ego, in describere eum Circulum super faciebus voraginis &c. vers.* 30, *Eram apud eum* ARCHITECTUS. NB.
Joh. I. v. 4. *In ipso* VITA *erat, &* VITA *erat lux hominum* c. 14. v. 3. *Ego sum Via, Veritas &* VITA, *dicit Christus.*	v. 34. *Inveniens me, invenit* VITAS.

At probetur aliquid huiusmodi de *Misericordiâ* & *Pace.*

III. Excipit Eniedinus: *Si hæc oratio esset propria: sequeretur Christum tempore Salomonis in plateis clamâsse, domum ædificâsse, septem columnas excidisse, &c. At consequens absurdum.* Ergò. Resp. in Maiore esse fallaciam conseq. Non enim sequitur: Hic versus *propriè* intelligitur. E. & ille: Et contrà, hic Versus *Tropicè.* Ergò & ille. Nulla consequentia. Nam in *eodem loco quædam propriè, quædam tropicè* dici possunt. 2. Christus tempore Salomonis MEDIATÈ *per*

Prophetas clamavit in plateis (de *resipiscentiâ* &c.) *ædificavit domum spiritualem* &c. quæ in plenitudine temporis ipse incarnatus immediatè peregit. Tempus enim incarnationis hæc respicere, V. & N. Testamentum conferenti non erit difficilè. *Præteritum* autem assumitur propter *certitudinem*.

IV. Excipit: *Qui loquitur de* JESU *crucifixo, non loquitur de Sapientiâ apud Salomonem loquente. At Paulus loquitur de* JESU *crucifixo*. Ergò Resp. Maior laborat fallaciâ causſæ, propter fallaciam Oppositorum. Nam *Sapientia hæc &* JESUS *crucifixus* non *opponuntur*, sed sunt *idem Filius* DEI. Loquitur ergò hæc Sapientia apud Salomonem, ut *Filius incarnandus*, apud Paulum, ut *Filius incarnatus*, & *passus in carne*.

V. Excipit Enied. *Qui simpliciter dicitur Sapientia, ille non est Sapientia, de quâ Paulus* 1. *Cor.* 1. *dicit enim limitate Sapientia* DEI. Resp. N. C. Nam Christus *limitatè* & *illimitate* Sapientia dicitur, Matth. 11. v. 19. Luc. 7. v. 35. c. 11. v. 49. VI. Excipit: *Quicunque postremis tantùm temporibus locutus est, ille tempore Salomonis non docuit homines*, addo scil. ILLO MODO: expressè enim modos recenset & distinguit author Epistolæ. *At Christus postremis tantùm temporibus locutus est*, Hebr. 1. vers. 1. scil. in carne manifestatus, 1. Tim. 3. v. 16. Ergò. &c. Sed quid hæc contra *Sapientiam incarnandam?* VII. Excipit: *Hæc Sapientia dicitur clamâsſe in plateis. At Christus non clamavit.* Esai. 42. vers. 2. *Matth.* 12. *v.* 18. *Ergò.* Resp. esse quatuor Terminos, propter fallaciam Æquivocationis in τῷ *clamare*. Nam in Maiore sumitur τὸ *clamare in plateis*, Prov. 8. (hebr. verò 1. *dare vocem*, v. 3. קָרָא *præconizare* v. 4. קָרָא *vocare*) pro *invitare ad pœnitentiam, & ad omne opus bonum*. Ita enim vers. 5. *Intelligite simplices astutiam, & stulti intelligite corde.*

vers. 6.

vers. 6. *Audite, quoniam eximia loquar, & apertio labiorum meorum rectitudines.* v. 34. *Benè hominem, qui audit me, vigilando super fores meas die & die &c.* Et ITA etiam *clamat* Christus. Joh. 7. 28. ἔκραξε CLAMAVIT *ergò in Templo docens* JESUS, *& dicens: Et me nosciteis &c.* v. 37. *Vltimo die magni Festi, stetit* JESUS, & CLAMAVIT, *dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat &c.* cap. 12. v. 44. JESUS CLAMAVIT *& dixit: Qui credit in me, non credit in me &c.* quin hâc ἕξει Christus propter nimium desiderium salvandi homines, non tantùm CLAMAT, sed etiam TIBIA-CANIT. Er schreyet nicht allein / sonder pfeiffet auch auff dem Marckt. In comparatione enim illâ Matth. 11. etiam suum studium includit: Verba sunt v. 16. & 17. *Cui assimilabimus generationem hanc? Similis est pueris, qui sedent* IN FORIS, *& acclamant Sodalibus suis:* TIBIA CECINIMUS *Vobis, & non* SALTASTIS; *Lugubria cecinimus Vobis, & non planxistis.* In Minore verò sumitur τὸ *clamare* pro *ostentare, jactare, gloriam aliquam mundanam quærere.* Nam postquam sanavit ægrotum, *interminatus est* JESUS *populo*, Matth. 12. v. 16. ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν, *ut compleretur, quod dictum est per Esaiam: Non clamabit, &c.* paucis: Maior loquitur de *clamare desiderij & institutionis.* Minor de *clamare iactantiæ &c.* VIII. Excipit, *aliquid posse ante creationem Mundi exstare, & tamen non esse æternum.* Nos petimus unicum jota è sacris, ubi aliquid *ante omnia opera* DEI *creata*, quod non sit *æternum.* Et quia ante OMNIA opera: Opera autem Dei sint Creaturæ: certè Creatura non esse potest hæc Sapientia, sed ipse Creator. IX. Excipit Enied. *Lex non est* Λόγος. *Hæc Sapientia est Lex.* Ergò. *Minor: Ecclesiast.* 24. Resp. negando Minorem, quam non probat ex Ecclesiastico. Est enim extra Canonem. 2. expresè illic docetur, esse *accidens*: hoc

loco non. Racovienſes in Catechiſmo tria contra præſententem locum (ab Eniedini effugijs aliquo modo diverſa) excipiunt: I. *Salomonem loqui de Sapientia in genere; Paulum autem loqui de Sapientia Dei.* Reſp. Etſi Salomon non addat *verbis*, ſe de *Sapientia Dei* loqui, addit tamen *ſenſu*, dum iſti ſapientiæ, de qua loquitur, *talia* aſſignat *prædicata*, quæ non aliter, quam de *Sapientia Dei* accipi poſſunt. II. *Salomonem loqui de tali ſapientia, quæ nec ſit, nec eſſe poſſit perſona, dum ei tribuit, quod per eam Reges regnent.* Reſp. 1. per æternam Dei ſapientiam ſeu λόγον, *cuius ſunt omnia regna, & à quo omnia bona deſcendunt dona*, utique *regnans reges*; is enim ſolus eſt, qui pro bonitate ſua *qualitativam ſapientiam* regibus clementer largitur. 2. Eſſe quædam de *ſapientia in verbo revelata* in hoc c. 8. intelligenda, non repugnamus; quod verò *omnia*, ad excluſionem *æternæ ſapientiæ*, conſtanter negamus. III. *In Hebræo legi, à ſeculo, quod ſit nota temporis determinati.* Reſp. 1. Salomon *tot deſcriptionibus* utitur, ut quis valdè pervicax ſit, qui hæc negare audet. 2. inter *æternum* & *creationem in tempore factam*, in ſacris nullum datur *medium*. At ſapientia dicit, ſe *ante creationem fuiſſe*; Ergò ab *æterno ſe eſſe* affirmat.

IV. Præmittimus locum *Iohan.* 1. *In principio erat Verbum*, &c. Quo loco nota *tempora Iohannis*, *quibus hæc ſcripſit*; & *ſtatum controverſiæ.* Smalcius in ſeiner kurtzen Außlegung vber das Evangelium/ ita formatStatum, ex Joh 20. v. ult. das iſt / Johannis fürnemmen / daß er beweiſe/ daß niemandt der Welt Heyland geweſen / als Jeſus von Nazareth / wie ſolches auß dem end deß 20. Cap. zuſehen: *Hæc ſcripta ſunt*, &c. Reſp. nos, non tantum *hoc*, ſed etiam *aliud* probâſſe Johannem, nimirum *Chriſtum eſſe Verum* DEUM *creatorem cæli & Terræ*, contra Ebionem & Cerinthum, *divinitatem* Chriſti negantes, ut patet 1. Johan. 20.

han. 20. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quòd* JESUS *est* CHRISTUS, FILIUS-DEI. FILIUS DEI. 2. ex historicâ Fide Epiphanij lib. 1. Tom. 2. hæres. 51. Eusebij l. 3. hist. Ecclesiasticæ. Irenæi l. 3. cap: 11. 3. è *contextu*. Demonstrat autem Johannes, λόγον esse *æternum Dei filium*. I. THEORETICÈ: considerat enim filium Dei καὶ ἔσω, *in ipsa Deitate in & per se*, non solùm quoad *essentiam* v. 1. ὁ Λόγος *erat Deus*, sed etiam quoad *personam* seu *subsistentiam*, idque in sensu tum DISTINCTO, 1. ratione *veritatis*, ὁ Λόγος *erat*; 2. ratione *æternitatis*, ὁ Λόγος *erat in principio*; 3. ratione *distinctionis*; ὁ Λόγος *erat apud Deum*; tum CONIUNCTO; *hic erat in principio apud Deum*. II. PRACTICÈ, 1. ex opere *creationis* & *conservationis*, v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Seu uti Paulus Col. 1. v. 16. loquitur: *in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso* CONSTANT. 2. Ex opere *reparationis*, vers. 4. *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*. 3. ex opere *incarnationis*; v. 14. *Verbum caro factum*. Hâc παραλληλίᾳ præmissâ ex nostro argumentamur loco: VERBO *Domini cæli firmati sunt*, & SPIRITV *oris eius omnis exercitus eorum. Cui propriè tribuitur creatio cæli & Terræ, ille est persona: At Patri, Verbo, & Spiritui oris Iehovæ propriè tribuitur creatio*, ex d. l. Nulla enim *improprietas* vel *disparitas* asseritur. E. *Pater, Verbum* (ὁ λόγος) & *Spiritus oris Iehovæ sunt tres personæ*. Vlterius: *Cui propriè tribuitur Creatio, ille est Deus æternus & Verus. At his tribus personis, Patri, Verbo, & Spiritui oris eius propriè tribuitur Creatio. Ergò: hæ tres personæ, Pater, Verbum, & Spiritus oris eius, sunt Deus æternus & Verus:* quod credendum! Excipit Enied. 1. *Verbum Iehovæ* v. 6. *non significare Christum, quia*

vers. 4.

vers. 4. *eundem non significet.* Resp. Nulla est Consequentia; vers. 4. *Verbum* non significat *Christum*; Ergò. Nam v. 4. agit de *bonis spiritualibus*, & propter hæc ad laudandum vocat homines. *Rectum est Verbum Iehovæ, & omne opus eius in fide.* Si ergò *idem verbum* v. 6. quod v. 4. sequitur, *bonis spiritualibus* cœlos factos esse. ἄτοπον! 3. ex Ipso *prædicato* patet, nimirum ex *factione cælorum*, quale sit *subiectum* nominandum: nimirum, ex Prov. 8. *Filius genitus ab æterno*; Λόγος *apud Patrem*, ex Joh. 1. *Sine quo nihil factum est, quod factum est.* II. instat *Spiritum oris nunquam significare* ὑφιστάμενον, *sed vocem ore prolatam, flatum, & halitum: ut Iob.* 15. *v.* 30. *Esai.* 11. *v.* 4. 2. *Thess.* 2. *vers.* 8. Resp. 1. negando Minorem. Nam hoc loco exsertè ὑφιστάμενον significat; tribuitur enim Ipsi *factura omnium exercituum cælorum*; *factura hominis, Iob.* 33. & *factura universorum*, Gen. 1. Nam ex *substratâ materiâ* claret, *eundem esse Spiritum Elohim, qui superferendo super faciem abyssi universa fovit*, Gen. 1. & SPIRITUM ORIS *Iehovæ, quò factus est omnis exercitus eorum.* AT ubi hæc cuidam ἀνυποστάτῳ? ubi *Voci, Flatui, halitui* tribuuntur? Nullibi. Hæc enim SOLIUS Jehovæ. Es. 44. v. 24. EGO SUM *Iehovah extendens cælos* SOLUS, *stabiliens Terram*, & NULLUS *mecum.* 2. Job. 15. v. 30. *Non recedet* (impius) *è Tenebris*, *Ramum tenerum eius siccabit* FLAMMA, & *recedet in* SPIRITU ORIS *eius*: hoc loco significat quidem SPIRITUS *oris* metaphoricè *spiritum calidum*, quem videtur FLAMMA tanquam ex ORE emittere: sed ipse contextus monstrat evidentissimè. Ita enim: *Ramum tenerum* EIUS *siccabit* FLAMMA, & *recedet in* SPIRITU *oris eius scilicet* FLAMMÆ. At probetur idem Psal. 33. Diversissima enim sunt: *Ramum tenerum impij siccabit* FLAMMA, & *recedet in* SPIRITU ORIS EIUS. Et. *Verbo Iehovæ cæli firmati sunt*, & SPIRITU

ORIS

ORIS *eius omnis exercitus eorum.* Esaiæ verò c. 11. vers. 4. *Percutiet terram in Virga oris sui, & in* SPIRITU LABIORUM *eius interficiet impium: per Spiritum labiorum,* non *Vox,* non *flatus*, non *halitus*, sed SPIRITUS *Sanctus*, Caussa efficiens huius interfectionis, intelligitur. Ita enim docet *complementum* Vaticinij hujus. Postquam enim Christus de stirpe Isai in plenitudine temporis egressus est, & absoluto cursu adscensionem ad cœlos paravit, promisit Johan. 14. vers. 16. cap. 15. vers. 26. cap. 16. v. 8. 9. 10. 11. se emissurum à Patre ALIUM *Consolatorem*, SPIRITUM VERITATIS, QUI *à Patre procedat. &* MUNDUM *sit arguiturus de peccato, & de justitiâ, & de judicio, de peccato, quod non credant in ipsum; de justitiâ, & c. de judicio verò,* QUIA *Princeps huius mundi* IUDICATUS *est.* Ex quo complemento patet, non *vocem ore prolatam*, non *flatum*, aut *halitum emissum*, sed *tertiam personam SS. intelligi per Spiritum labiorum Christi. Quo enim* SPIRITU CHRISTUS MUNDUM ARGUIT, *eôdem interficit impium.* AT ALIO CONSOLATORE, SPIRITU *Veritatis, qui à Patre procedit,* MUNDUM *arguit.* Ergò. Maior patet ex παραλληλία, Esai. 11. & Johan. 14. 15. 16. Quod enim Esaias dicit, v. 4. *Iudicabit Messias in justitiâ tenues, &* ARGUET *in rectitudine Mansuetu terræ, & percutiet terram in Virgâ oris sui, & in* SPIRITU LABIORUM *eius interficiet impium:* Christus dicit, Johan. 16. *Si abiero, mittam Paracletum ad* VOS, *v.* 8. *Et veniens* ἐκεῖνος ILLE ARGUET *mundum de peccato, de justitiâ, & de judicio, de judicio, quia Princeps huius mundi iudicatus est.* Idem judica de loco. 2. Tessal. 2. v. 8. Quamvis a. Spiritus S. omnia hæc per *verbum* peragat, illa tamen non *separanda*, non *opponenda*: sed *sibi mutuò subordinanda* sunt. III. instat Eniedinus his verbis: *sed quod versum istum, Verbo Iehova cæli facti sunt & Spiritu oris eius*

omnis exercitus eorum, planè explicat, sequitur vers. 9. quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Quem quærimus locupletiorem & fideliorem verborum interpretem, quàm ipsum Davidem? Enquod priusdixerat: *Verbo Iehovæ cœli firmati sunt, hic explicat: Ipse* DIXIT, *& facta sunt. Quod adiecerat, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum, hic isto dicto exprimit:* IPSE *mandavit, & creata sunt.* hactenus Enied. Resp. probatio Maioris, Davidem scil. v. 9. Commentariolum scribere v. 6. nulla est, quia de *Spiritu oris Iehovæ, quo omnis exercitus cælorum factus est*, v. 6. huius ψ. dicitur Gen. 1. SPIRITUS *Elohim* INCUBAT *super faciem aquarum*, & Job. 33. *Spiritus* DEI *fecit me, & Spiraculum Omnipotentis vivificavit* ME. AT probent Photiniani ullo JOTA, quòd MANDATUM dicatur SPIRITUS Elohim, quòd MANDATUM INCUBET super faciem aquarum, NB. Gen. 1. quod MANDATUM sit SPIRACULUM Omnipotentis evellens hominem de LUTO Job. 33. sed in æternum hoc probare non poterunt. Ergò alius v. 6. alius v. 9. v. 6. dicit, *Distinctè Creationem tribui Verbo, τῷ Λόγῳ, & Spiritui oris Iehovæ. v. 9. verò,* DEUM *tàm facilè omnia efficere, quàm nos dicere, immò infinities-facilius. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt,* quemadmodum etiam Psal. 148. v. 5. *Laudent nomen Domini, quia ipse mandavit, & creata sunt.*

VII. 2. Sam. 23. v. 1. *Et hæ Verba Davidis novissima. Dixit David* FILIUS *Isai, & dixit Vir,* קָקָם (Luth. substantiatus, constantius, stantificatus, hypostaticus, certus passivè) *de-* MESSIA *Dei Iacob, & jucundus Psalmis Israel. v. 2.* SPIRITUS *Iehovæ locutus est in* ME, *& sermo eius super linguam meam. v. 3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est* PETRA *Israel, Dominator in homine, iustus Dominator Timoris Dei.* Quo loco Davides fatetur, sese quasi hypostaticatum esse de Messiâ,

Messiâ, (nos dicimus, Ich wolt mich darauff verbrennen dörffen lassen) de SPIRITU Jehovæ, & DEO Jsraelis. 2. Cor. 13. v. 13. *Gratia* DOMINI JESU *Christi, &* CHARITAS DEI, *& communicatio* SPIRITUS *Sancti sit cum omnibus Vobis.* Amen. &c.

His adjungi possunt alia arg. *secundaria*, non *primaria*; ORNANTIA, non *probantia*; *Topica, non apodictica*; argumenta *intra, non extra Ecclesiam stringentia*; arg. *non* SUA, sed *aliorum* VIRTUTE *radiantia*; sed nos illis supersedemus, QVIA *propriè* ad disputationem non pertinent. Vnum attingemus, ut de reliquis judicium fieri possit. Est autem Gen. 18. de quo Aug. serm. 70. de Tempore pag. 152. TRIBUS *occurrit Abraham, &* VNVM *adorat. In eo, quod Tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit: Quod autem* QVASI UNVM *adoravit, in* TRIBVS PERSONIS UNVM DEVM *esse cognovit.* Contrà insurgit Enied. Faustus Socinus &c. mirum quantum! Sed frustra. Hæc enim perpetua Responsio est. Si TRINITAS alijs in locis non INVICTE demonstrata esset, *horum locorum nullus nobis in mentem veniret.* Sed QVIA prius factum est, ut etiam PORTÆ *inferorum prævalere non possint:* his & similibus *ornativè* & *declarativè* Patres usi sunt. Ergò Phot. est, ut *primaria* destruant, non in *secundarijs* ludant, quod ipsis familiarissimum est.

III. MEMBRUM.

de DISTINCTIONE est.

Distinguuntur personæ Triniratis brevissimè I. ad INTRA *Pater* gignit, Psal. 2. v. 7. *Filius* gignitur, Psal. 2. v. 7. Prov. 8. SPIRITVS SANCTVS PROCEDIT, Johan. 15. v. 26. Vel: *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec*

GENITVS: FILIVS *à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed* GENITVS. SPIRITVS *Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus*, SED PROCEDENS. II. ad EXTRA, *Pater Creator cœli & Terræ, Filius Redemptor*, SPIRITVS *Sanctus Sanctificator.* Etsi enim opera Trinitatis ad EXTRA sint indivisa, TAMEN servatâ cujusque personæ proprietate, & ORDINE agendi intelligenda sunt ; verùm de distinctione personarum alibi fusè egimus.

Sequitur Consensus Orthodoxæ Antiquitatis de adorandâ TRINITATE.

Rabb. Haccadosch in Galerazeya, hoc est, Revelatore Arcanorum: *Postquam hoc tibi aperui, animadverte nomen quatuor literarum, prout scriptio eius est.* (יהוה) *Deum generantem significare. Et quia non potest esse generans absque generato: necessariò amor à generante in generatum, & è converso procedere debet. Quoniam si hoc non esset, non generaret. Et si non procederet Amor à generato in generantem, & distingueretur generatus à generante, duæ substantiæ essent. Propterea nos volumus generantem & generatum unam esse substantiam. Idcircò necesse est, ex altero in alterum procedere amorem. Propterea ex hoc Schem-Hamphoras, derivatum est Nomen duodecim literarum: & est* אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ hoc est, *Pater, Filius, Spiritus Sanctus.* Quæ in Linguâ nostrâ Hebraicâ XII. literis scribuntur. Et idem ad Antoninum Consulem ; *Quoniam autem non invenitur aliquid in* DEO, *quod non sit* DEUS, *ex nomine XII. literarum, emanat nomen XLII. literarum, quod est* :אאָ בארוח הקדש אלהים שלשה באחד ארח בשלשה hoc est: *Pater* DEVS, *Filius* DEVS, *Spiritus Sanctus* DEUS: *Trinitas in unitate, & Unitas in Trinitate: Quæ in Hebraico sunt XLII. literæ. Notare autem debebis, hæc nomina esse ex divinis*

divinis arcanis, quæ à quocunque occultari debent, quousque veniat Messias Iustus noster. Illa tibi patefeci, tu autem ea fortiter occule. Quo loco nota, per omnes Annales Evangelicos ne unicum jota haberur, quòd Judæi accusaverint Christum propter hanc caussam, quòd statuerit DEVM *Patrem habere Filium*, sed tantùm propter hanc, quòd statuerit SESE *esse illum* FILIVM. At si *nova* & *inaudita* fuisset sententia in populo Dei, DEVM *habere* FILIVM: utique non *contiticuissent*, sed *graviter Christum accusâssent*, qui *novam doctrinam* introduceret, & à Mose secederet. Quod ubi non factum; patet cæcitas hodiernorum Judæorum. Rabb. succenturiantur CANÆ & SANÆ Ecclesiæ Patres, quorum sententias Vide in Disput. 1. Exercitat. Theologicarum.

OBIECTIONES.

Ex Scripturâ & Ratione.

I. EX SCRIPTURA urgent illud Matth. 19. vers. 16. *Ecce unus accedens ait illi:* MAGISTER BONE, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* v. 17. *Ille verò dixit ei: Quid me* VOCAS BONVM? *Nullus* (*est*) BONVS, *nisi* UNVS (nempè) DEVS. Resp. sermo interdum in sensu ABSOLVTO, hoc est, secundum *mentem nostram:* interdum in sensu RELATO, hoc est, secundum *mentem alienam* instituitur. Resp. *relatè* non *absolutè*: quia enim hic juvenis Christum tantùm *Magistrum* vocat, & cum promiscuâ plebe tantùm pro *excellenti Rab.* habet, & verò addit prædicatum BONI: Christus ex prædicato BONI, concludit contra juvenem. *Quid me vocas* BONVM? *Si bonus sum,* DEVS *ille verus sum. Nam* NULLVS BONVS *nisi* UNVS *Deus. Sed non credis, me Deum illum*

verum esse. Ergò &c. Sed quid hæc contra *adorandam Trinitatem?* ‖ I. Johan. 17. v. 3. *Hæc est Vita æterna, ut cognoscant* TE *illum solum verum Deum, & quem misisti,* JESVM CHRISTVM: argumentantur: *Si* SOLVS *Pater est Verus Deus, sequitur Filium & SS. non esse verum Deum. Sed prius. Ergò.* Resp. 1. ad Maiorem per triplicem *instantiam.* I. SOLVS *Deus Creator cæli & Terræ est adorandus,* Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20. Matth. 4. v. 11. Luc. 4. v. 8. Gal. 4. v. 8. *Ergò Christus non est adorandus:* quod conclusum etiam ipsi Photiniani non concedunt. Ergo quod Respondent ipsi Francisco Davidis, superintendenti Claudiopolitano, idem nos ipsis respondemus. AT Resp. Socinus in Miscell. pag. 273. *Nomen* (SOLVS) *& particulæ idem significantes, quum de* DEO *dicuntur,* NUNQUAM EOS *excludunt, qui illi sunt subordinati,* & Smalcius contra Smiglecium, pag. 14. *Non seipsum excluſit Christus, quum hæc Verba Matth. 4. v.* 11. *ex lege citaret.* Ergò idem respondemus nos ipsis. *Particulæ exclusivè* non excludunt *personas in Trinitate.* II. SOLVS *Iehovah facit omnia.* Esai. 44. v. 24. *Ergò non Christus.* AT negat hoc Johannes cap. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est,* πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. III. Esai. 45. v. 14. DEVS Pater FILIVM sub Ecclesiæ personâ alloquitur his verbis: *Tantum in te est* DEUS, *& non est præterea* VLLUS *Deus. Verè Tu & Deus abscondi-*

tus, DEUS *Israelis Salvator. Ergò Pater non est* DEUS. Conclusio absurda; Ergo altera præmissarum: Non minor; Est enim Prophetæ. Ergò Maior, quæ Photinianorum, manet ergò Regula: PARTICULÆ EXCLVSIVÆ *non opponuntur* PERSONIS *in Deitate, sed iis, qui sunt extra Deitatem,* ut manifestè hic Canon Deut. 32. v. 12. his traditur verbis: JEHOVA SOLUS *ducet eum, & non cum* EO DEUS ALIENUS. Ergò ni SOLUS opponitur DEO

ALIENO.

ALIENO, DEO ALIENIGENÆ; AT quis dicet, *Christum & SS. esse* DEOS ALIENIGENÆ? II. Resp. ad Minorem, 1. non dicitur in Textu, SOLUS *Pater est Verus Deus*, sed *Pater est ille* SOLUS VERUS *Deus*. Ita enim: *Ut cognoscant* TE, *illum solum Verum Deum*, quemadmodum etiam Socinus vertit. 2. Particula SOLUS non ad *subiectum*, sed *prædicatum* pertinet: ἵνα γινωσκωσι σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν; sensus est: *ut solum verum Deum cognoscant*, qui sit Pater: Pater autem nihil aliud est, quam *persona prima Trinitatis, ab æterno gignens filium sibi ὁμοούσιον, & una cum eo spirans Spiritum Sanctum*; ideò per *copulativam particulam* ET Deo Patri filius quoque connectitur: ET *quem misisti Iesum Christum*. III. 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis unus est* DEUS, *Pater ille, ex quo omnia*. Sed contra omnes instantias Photinianas ad hunc locum unicâ oppositione, qui fit, v. 4. 5. & 6. respondemus: Ita autem v. 4. *De* ESU *eorum, quæ idolis immolantur, scimus, quod nullum est idolum in mundo, &* QUOD NULLUS DEUS ALTER, *nisi* UNUS v. 5. *Nam etiamsi sunt*, QUI DICANTUR DII, *sive in cælo, sive in Terra (quemadmodum sunt Dij multi, & Domini multi)* v. 6. *Nobis tamen* UNUS *est* DEUS, *Pater* ILLE, *ex quo omnia, &* NOS *in* ILLUM, *&* UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS, *per* QUEM *omnia, &* NOS *per* ILLUM. Patet ergò, quod Pater ille, & JESUS Christus opponantur λεγομένοις θεοῖς, & hoc modo sint UNUS ILLE DEUS, extra quem est NULLUS ALTER. IV. Eph. 4. v. 6. UNUS *Deus & Pater omnium*. Arg. *Quicunque non est Pater omnium, ille non est Verus Deus*. AT *Christus non est pater omnium, Ergo Christus non est verus Deus*. Resp. Vocabulum *Patris* vel sumitur κοινωδῶς, vel ὑποζευκτικῶς. Ουσιωδῶς *commune* est PATRI, *Filio, qui est Pater æternitatis*. Es. 9. v. 6. *Et* SPIRITUI SANCTO, *ex quò nascitur*, Johan. 3. Ex

quo

quo autem *nascimur*, ille à *paternitate* non potest secludi. ὑποσχετικῶς pro *prima personâ*. Si Vocabulum *Patris* sumitur ὑπαρκτῶς, ut optimè potest, conceditur maior, & negatur minor, siquidem *omnia per Christum facta sunt*, Joh. 1. v. 3. Si autem est *Creator omnium*, quî non etiam *Pater omnium*? Si ὑποσχετικῶς negatur major; nam *distinctio personarum non tollit unitatem essentiæ*, & scriptura Patrem dicit *Verum illum* DEVM, Filium *verum illum Deum*, & SS. *Verum illum* DEVM.

V. His appendunt, *si orthodoxa esset doctrina de Trinitate, procul dubio etiam in Symbolo Apostolico contineretur. Sed non.* Ergò. Resp. Continetur. Ita enim docet exsertè: *Credo in* DEVM, quis autem ille DEVS? I. *Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & Terræ.* II. *& in* IESVM *Christum,* FILIVM *eius* UNIGENITVM. III. Et IN *Spiritum*-SANCTVM, quid clarius? Et tantum de argumentis è Scriptura petitis, sequuntur illorum rationes: 1. *Quot personæ, tot sunt essentiæ. At tres sunt personæ; Ergo & tres essentiæ*; Resp. 1. limitando. *Quod personæ* FINITÆ, *tot sunt essentiæ*, quo modo negamus minorem; quod autem ita limitanda major; liquet, QVIA, *si Deus simul in infinitis locis, & quidem in quolibet Totus esse potest, & tamen non multiplicatur, etiam infinita essentia divina in Tribus personis esse potest, ut tamen non multiplicetur.* 2. Ex argumento illo plus non infertur, *quàm essentiam illam tribus personis communem, characteristica differentia ingeniti limitari in Patre, geniti in filio, & procedentis in Spiritu Sancto*; quod concedimus. Si ulterius urgent, jubemus vel Aristotelem procedere, ut pro autoritate, quâ fungitur publicâ, & methodicâ apud Photinianos, ipsis *silentium* imperet, lege hâc. Οὐ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. NB. Quid hæc ad *Naturam*, cùm sint SVPRA *illam*? Ergò alium loquentem, nimirum NATVRANTEM,

RANTEM, Deum nostrum audiant. II. Obi. & maxime Johannes Sommerus Pirnâ-Misnicus, peculiari libello Anno Christi 1583 edito, sub ficto Titulo Ingolstadij, ex officinâ Petri Ravisij, si non aliquis in Poloniâ locus hoc nomine est insignitus, TRINITATEM *ex lacunis Platonis, Aristotelis, Plotini, Luciani &c. profluere, & non ex fonte Israelis.* Quàm frustrà autem, ex Anteced. & Conseq. illorum Philosoph. facilè patet, ut à Franzio in suis Vindicijs factum est, ex quo seq. adscribimus. *Primam thesin ponit Sommerus hanc, & quidem verbis his ipsis sequentibus: Vnus est* DEUS *Pater, Filius & Spiritus Sanctus in essentia indivisus, tribus personis distinctus, iuxta illud; Hi tres unum sunt. Probationem huius theseos accipit ex Platone, qui in Timæo ita scribit: Ex essentia individua, & semper secundum eadem se habente, & rursus, ex dividua tertiam speciem, ex ambabus mediam commiscuit, quæ rursus & eiusdem & alterius naturam haberet. Et acceptis his, quæ tria essent, omnia in unam ideam commiscuit. Item ex epistola eiusdem Platonis sexta: Adiuretis Deum omnium Ducem, tum eorum, quæ sunt, tum quæ futura sunt, & ducis ac caussa Patrem Dominum. Ecce Trinitatem Patrem Ducem & causam, Marsilius Ficinus.* Hactenus verba Sommeri.

Verùm enimvero, si Platonis inspexeris verba præcedentia, & ad stilum eius te assuefeceris, videbis *rem planè aliam à Platone tradi, quàm quæ ad theseos istius probationem Sommerianam* facere possit. Sic enim Plato: *Deus ortu & virtute antiquiorem genuit Mundi animum, eumque ut Dominum atque imperantem obedienti præfecit corpori, idque molitus talis est modo: Ex substantia, quæ individua est, & quæ semper uniusmodi, suique similis, & ex ea, quæ corporibus dividua gignitur, tertium Substantiæ genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset* EIUSDEM *naturæ, & quod* ALTERIUS, *idque*

 interiecit

interiecit inter individuum, atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea quum tria sumpsisset unam in speciem temperavit omnia, naturamque illam, quam Alterius diximus, cum Eadem coniunxit fugientem, & ei commixtioni repugnantem concilians &c. Hæc Plato. Super quæ verba doctissimus Interpres ita scribit: *Absolutâ tractatione de corpore universi, accedit adexplicationem* ANIMI, *quo nomine istius universitatis analogiam, & symmetriam intelligit, quæ caussis distincta, non modò mirabilem hanc molem mundi sustinet, sed singulas res potenter atque efficaciter gubernat. Cuius ἀναλογίας multiplicem vim atque efficacitatem, in maximo illo caussarum theatro, mox copiosè demonstrabit. Huic autem amplissimæ explicationi præmittit* κεφαλαιωδῆ *hanc descriptionem de corporis & animi coniunctione: cuius hoc est primum caput: Universo ut corpus est, ita animus.* Hæc ille. Idem ibidem paulò post: *Illius de universi Anima doctrinæ illustrissima* ἐπεξεργασία: *qua mirabilem eius* ἁρμονίαν, *& humanitem animi, præclara imagine repræsentat. Tres autem* οὐσίας *statuit. Individuam, Dividuam, Tertiam essentiam, id est,* ἀμέριστον, μεριστὴν, τὸ ἀμφοῖν οὐσίας εἶδος. *Individuam vocat essentiam, divinam, intelligibilem, constantem. Dividuam verò corpoream, & dissolubilem. Illam* ταυτὸ, *id est, idem: hanc,* θάτερον, *id est, Alterum vocat. Tertiam substantiam, ex utroque nascentem* ἁρμονίαν, *cuius habitudo est noster animus, qui ex utraque illa natura in medio misceri dicitur.* Leguntur plura apud eundem Interpretem in eodem loco, præsertim quorum hoc est initium: *Iam verò, ex docendi ratione antiquis Philosophis usitata adhibet Plato hæc de Animo Mysteriis significandis* σύμβολα *quadam* εἰκόνας *è numeris: non quasi docere velit, animum revera numeris constare, sed quoniam illorum notiones mirè faciunt ad animi naturam, quæ inter sensibilia & intelligibilia media est, repræsentandam, &c.* Audiatur etiam Interpres super sextam Epistolam Platonis, ubi hæc verba leguntur:

leguntur: *Hermam, Eraſtum, Coriſcum, illuſtres* (uti veriſimile eſt) *& potentes viros hortatur, ad mutuam concordiam amicitiamque colendam: cuius luculentiſſimos, uberrimosque fructus, & illius quoque fundamentum docet: veram* DEI *cognitionem: cuius naturam luculenter deſcribit, auguſtis illis verbis, quantum quidem in hominem Ethnicum cadere potuit:* DEUM *eſſe quendam omnium rerum, & quæ ſunt, & quæ erunt cauſſam, & illius Principij cauſæ Patrem exiſtere: quæ quidem verba ita nonnulli è noſtris hominibus intelligunt, quaſi Plato Trinitatis myſterium innuerit his verbis: ſicuti & λόγον intelligunt in Epinomide, Apage iſtas inſanias, ut & ipſius etiam Platonis, Ethnici hominis, admonitione diſcamus, in tantis myſterijs ſobriè verſari? & potuit quidem Plato multa dicere, quæ non intelligeret ex Phœnicia doctrina hauſta: at ipſorum etiam illos ἀπορρήτων Platonicorum Autores, & cuſtodes Ægyptios, ſive Phœnices tantum myſterium cognoviſſe, veriſimile eſt? Itaque hæc μυστερώδη & Symbolica verba ex Platonis mente, & doctrina ſimpliciter intelligo:* DEUM *videlicet eſſe Naturæ parentem, ſive Opificem, quam Naturam à Platone* Θεὸν *vocari, ex Timæo apparet: & cur, ibi diximus. In ſumma ſignificat, Deum eſſe Naturæ, omniumque rerum, quæ eius ambitu continentur, Opificem & conſervatorem, verarumque etiam amicitiarum fundamentum: illius denique cognitionem veræ Philoſophiæ ductu & auſpicijs nobis conſtare. Cæteras interpretationes, quæ fidei noſtræ myſteria profanant, ὡς εἰς ἄλλο γένος μεταβαινούσας, nec ineptias modo, ſed ſceleratas, equidem deteſtor.* Hæc ille ibi.

Secundam theſin hanc facit Sommerus: *Hi tres ſimul ſunt Creator cœli & terræ, non Pater tantùm.* Probationem connectit his verbis: *Ariſtoteles 8. Phyſicorum Tribus regitur mundus, motore non moto, motore moto, & moto non movente, id eſt, ac ſi diceret, Pater in rebus generat æternum Filium, à quo & Patre procedit Spiritus Sanctus in quo eſt finis divinitatis.*

tatis. Postellus de Orbis Concordia lib. 1. c. 3. Plotinus Enneade 2. lib. 9. c. 2. Tria sunt rerum principia, ipsum bonum, filius eius intellectus ex paterna luce, luminis more manans, & mundi anima ex intellectu divino, velut Spiritus per omnia profluens. Marsilius Ficinus in Timæo c. 9. Universum hoc judicant Platonici ab ipso bono per Intellectum divinum, qui boni illius filius est, animamque universi producere. Idem in summa Enneadis quintæ lib. 2. Bonum includit paternæ fœcunditatis Intellectum, Intellectualis filij emanatio, animam processio Spiritus per voluntatis modum. Hæc ex collectaneis Sommeri. Verùm enimverò quis non videt ex toto contextu omnium decem capitum libri 8. Physicorum Aristotelis Stagiritæ, sermonem esse Philosopho de *motu rerum naturalium*, ita ut contendat, quod *omnis naturalis substantia è suprema causa dependeat*, simulque demonstret, *omne corpus natura moveri, & quicquid movetur, ab aliquo moveri, ac primum movientem immobilem esse, semperque eodem modo sese habere, ut argumentum libro præfixum loquitur.* Exempli etiam loco Aristoteles in eodem loco affert ea, *quæ loco movent, de quibus dicit, quod necesse sit, ut aliquo in tempore tangant ea, quæ loco moventur.*

Tertiam thesin hanc facit Sommerus: P*ater æternus intuens seipsum gignit filium imaginem suam, lumen de lumine.* Eiusdem verò probationem adducit ex Platonis Timæo his sequentibus verbis: *Opifex ille pulcerrimi & optimi perfectissimum* Deum *generavit.* Addit: P*lotinus Enneade tertia lib. 8. c. 10. Qui mundum intelligibilem intuetur, eum oportet effectorem eius diligenter inquirere, quisnam ille sit, ubi, vel quomodo talem genuerit Filium, Intellectum puerum purum, & formosum filium inquam à Patre plenum. Idem Enneade sexta, lib. 8. c. 18. Quale enim est id quod est in mente, tale fermè cogitatur, quod est in uno aliquo, quamvis sit longè præstantius, perinde, ac si*

lumen

lumen longè diffusum ex uno aliquo in se manente, penitusque perspicuo prodeat. Ubi profectò quod est diffusum, alterius est imago. Illud autem unde hoc emicet lumen, est procul dubio verum, non tamen imago diffusa aliena est & dissimilis formæ. Hactenus ille. Sed iterum audiantur doctissimi Interpretis verba super hunc quoque locum Platonis. Sic ergo ille: *Conclusio istius loci de corpore universi, quod rotundum atque aquabile factum esse ait à Deo Opifice, superiorùs quidem doctrinæ copiosè explicatæ, summam breviter comprehendens, mollissimoque nexu parans sibi viam ad sequentem sermonem: Dei nimirum fuisse consilium Naturam constituere omnibus suis numeris perfectam, atque absolutam, quam excellenti quadam augustaque virtute ornaret: ut velut ipse divina ua & omnipotenti virtute creasset Naturam: ita & Natura ipsa, veluti Dea quædam, creatum illum ordinem, & sua potestate regendum, efficaciter gubernaret. Ita diserùs verbis Opificem distinguit à Natura, quamvis ei tribuat Dei nomen, impropriè quidem, ut notavimus. Est enim illud purum ἀξίωμα ex luce naturali, quod tam studiosè repetit in Philebo: Deum opificem cum natura ministra non esse confundendum. Tom. 2. p. 27. Non tamen eximere vult naturam ab Imperio Dei, aut æternam simpliciter constituere, sed mirabilem Naturæ vim, constantemque, & firmam eius ὕπαρξιν ostendere, cuius videlicet quasi nutu & arbitrio res singulares quotidiè procreentur, & inter omnes rerum vicissitudines ipsa immobilis perduret. Illam tamen tantum abest, ut eximat à rerum cæterarum γιγνομένων numero, quasi vel non creata esset, vel ab Imperio Dei immunis imperium quoddam ipsa suum obtineret, ut sæpius inculcet ipsam esse à Deo factam Dei ministram, & non causſam propriè sed ξυμμεταίτιον, denique non veram illi divinitatem; sed ὑπουργίαν (ut in Politico) tribuat. Quid enim est γενησόμενον Θεὸν, γενητὸν, λυτὸν νεώτερον, & similes exceptiones, quibus illa divinitas circumscribitur? & cui opponatur ὁ ἀεὶ αὐτοαεὶ Θεὸς: ecquis complecti animo possit,*

factum esse Deum? Sed nos hac de re aliâs, &c. Ἀκυρολογία *igitur illa ex superiorus doctrinæ fundamentis convincatur atque vel arguisanè potest.* Hactenus verba Interpretis istius. Ex quibus omnibus planum est, Sommerum *callidè* agere, & *unam aliquam particulam decerpere* TOTO *contextu non probè ponderati & examinato*, quo nihil cogitari potest malitiosius & perversius. Non ex *unâ parte* decerptâ, & *divisim* considerandâ, sed ex *coniunctis Textibus* judicium fieri debet. *Una* enim *pars extra contextum nudè & crudè relicta, prorsus alium sensum habere potest.* 2. Etsi Plato in allegatis locis in *Veritate Trinitatis mentionem* feciisset, nihil tamen obtinerent Adversarij: Nam Ethnicos multa ex *lectione, institutione* & *rumore Vicinarum Ecclesiarum Patriarchalium* accepisse, proprij Ipsorum Philosophi attestati sunt, ut vel Tituli docent ex Indice super Opera Clementis Alexandrini. I. Aristobulus Peripateticus *Iudaicam Philosophiam* Græcâ multò antiquiorem ostendit; Peripateticos ex *Lege* & *Prophetis* sua collegisse tradit. II. Ethica Græca à *Mose* mutuata. IV. Ex *Hebraicis Scripturis* hausit Plato, &c.

III. Obiect. *Qui genuit, desiit gignere; qui genitus est, cepit esse, & desijt gigni.* Resp. Hoc verum est, in *geniturâ Logicâ, Physicâ, Prædicamentali:* sed non de geniturâ *transcendentali, Metaphysicâ, Mentali:* multò minus de geniturâ *supremâ, singulari, divinâ*, quæ totis cœlis, & infinities alia est, quàm hæc. Vide Disp. Inaug. p. 17. 18. 19.

IV. Obiect. *Generans & generatum sunt prius & posterius:* Resp. *Physicè*; non *Metaphysicè*, non *Theologicè:* ut Aristoteles Ipse dicit l. 2. de animâ: *Mens gignit*, λόγον τῷ νοὶ συναίδιον.

V. Obiect. *Æternitas producta non est æternitas magis, quàm infinitum est, quod habet finem.* Limitatur Maior, *producta secundum tempus & motum:* &c. non autem producta secundum *ordinem principij.* Obiect.

VI. Obiect. *Si eadem numero Voluntas est omnibus tribus divinis personis. Ergò eadem numero actio. Si hoc: falsum erit, Voluntatis actione productum esse Spiritum Sanctum. Non enim eadem numero actio simul producere potest & produci:* Verùm assumptum posterioris Sy logismi distinguimus. Eadem est numero actio *Essentia ad extra*, sed INTUS inter Personas distincta; qua ratione Spiritus S. spirando à Patre & Filio ab æterno procedat, id expositum vide in Disputat. de Spiritu Sancto.

VII. Obiect. *Hypostasis τοῦ λόγου vel erat in Patre, cum generaret λογον, vel non erat. Non posterius. Ergò prius. Si erat; Ergò una Patris persona, duæ erant personæ, propter duas Hypostases.* Negatur Conseq. Nam Maior hæc est: *Cùm persona est in personâ, duæ personæ sunt una persona.* Falsissimum! Nam etiam *Angelus, Diabolus est in personâ alterâ*, nec tamen *Diabolus & Homo, Angelus & Homo, una persona* sunt. 2. *Ego in Patre, & Pater in me est*, Johan. 14. 3. est oppositum in adjecto. Nam si persona est in personâ, *duæ* sunt *personæ*, non *una*. 4. In *generatione τοῦ λόγου* considerandatria: *natura, persona, relatio.* Λόγος genitus est, non ex *προσώπου Patris*, alioquin prima Trinitatis persona facta esset secunda, eò quod Pater gignendo filium omne id communicavit, ex quo genuit: nec ex *relatione*: alioquin Pater esset filius; cum Pater in generatione omne id communicet, ex quo gignit; Ergo ex *natura*; Plus ergò non infertur, quàm *naturam τοῦ λόγου, esse in natura Patris*, id quod verissimum.

VIII. Obiect. *Persona offensa est* DEUS *Israël. Mediator non est persona offensa. Ergò. Intercederet enim apud semetipsum, & simul se iratum ostenderet, & placatum, quo nil stultius!* Negatur Minor. Etsi enim persona Medians ex parte alterutrâ ferè non sumatur, si extra partes invenitur,

nitur, qui velit: tamen ex parte alterutrâ aut utrâque sumitur, si non est alibi, qui possit, ut hoc loco Psalm. 49. 2. Si pars offensa *gratiosè* de *jure suo remiserit*; & hoc modo etiam *apud se* intercedit, etiam *sibi* satisfacit. Nam actus Iustitiæ per ὁμοιότητα etiam ad Ipsum agentem fertur, in naturali cursu. Aristot. l. 5. Eth. c. 11. ad Nicomachum. Sed hæc sufficiant.

DEO OMNIA.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Thumm, Theodor,

Apodeixis theologica, Deum essentia unum, personis trinum esse, Patrem scilicet, Filium et Spiritum Sanctum

Tubinga 1623

4 Diss. 395#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10651214-4
VD17 12:149656